



**Expositio decalogi, symboli apostolici, Sacramentorum &
Dominicae praecationis, ad captum puerilem in breues
Dialogos redacta & de nouo iam per autorem recognita &
adiectis in singulos dialogos summarij locupletata.**

<https://hdl.handle.net/1874/452940>

EXPOSITIO
DECALOGI, SYMBOLI APO-
STOLICI, SACRAMENTORUM, & DOMINICÆ PRÆ-
CATIONIS, AD CAPTUM PUERILEM IN BREUES DIALO-
GOS REDACTA, & DE NOVO IAM PER AU-
TOREM RECOGNITA, & ADIECTA IN
SINGULOS DIALOGOS SUM-
MARIJS LOCUPLE-
TATA.

Per Antonium Coruinum.

ADIECTA EST BREVIS DESCENDÆ THEOLOGIÆ RATIO.
 Item Ioannis Stigelij de morte Euritij
 Cordi Epicedium, cum Epitaphijs
 Doctorum aliquot Vi-
 rorum.

CUM GRATIA & PRIVILEGIO CÆSAREO.

Argento. apud Vuolf. Cæphaleum, Anno
 M. D. XL.

H. Eobanus Hessus ad Lectorem.

Non tantum pueris, quamvis puerilia possis
Dicere, Coruini prodita scripta Vides,
Hæc lege q̄ Vere cupis aurea dogmata Chri-
Et uera puram cum pietate fidem, (st)
Est operæ prætium pueros audire loquentes
Quæ plures fatui non didicere senes.
Sis memor ergo pias autori dicere grates,
Talia plura brevi qui dedit ista dabit.

DOCTISSIMIS ET HUMANIS.
simis Viris M. Remigio Albulano, Pædagogo
Cassellano, Leonardo Crispino Silesio pæ-
dagogo Hombergiano, Michaeli Vo-
lumetio pædagogo Goslariano
Amicis Charf. Anto. Cor-
uinus S. D.

Drouerbio dicitur, Suū cuiq; pulchrū.
Et fortassis de bona mortalium parte
recte ad hunc modum dicitur: Quām
sunt enim, bone Deus, multi, qui sua efferunt
insolentius? Quare etiam non inepte Aristote-
les scribit, Quemque artificem suo opere dele-
ctari impensius. Ego uero aliud quiddam mihi
hic accidere & usū uenire sentio. Non solum
enim libellum hunc meum, non efferre possum
maximopere, uerum etiam si fieri posset, omni-
no suppressum cuperem: tantum abest, ut cum ijs
sentiam, qui tot Catechismis orbem adobruen-
dum putant. Et profecto consultius esset, ad u-
num aliquem insignem adsuescere pueros, atq;
nunc hunc, nunc illum tanto temporis dispen-
dio prælegere. Quia uero hæ nostræ (quod re-
rum illarum quas tractamus pace dictum esto)

A a nuga

DE DESCENDIS LITERIS

nugæ uobis tantopere probantur, ita ut ad singulos dialogos summaria quoque adjici, quæ reponi in memoriæ thesaurum facile possint, et libellū recudi sic locupletatum cupiatis, age, geratur mos amicis, & si cæcutiendum est, cæcutiamus & nos in gratiam tantorum amicorū nonnihil. Quis enim non uidet, ex nimio uel amore uel studio cæcutientiam huiusmodi nasci? Sed bene res habet posteaquam nemo prodijt hactenus, qui religionis caussam parum pie à nobis hic tractatam caussari potuerit. Nam hunc scopum uel in primis, cum rogati à discipulis hæc scriberemus, præfixum habuimus, de sermonis ac dictionis nitore haud ita solliciti. Adiecumus Laurentij Coruini Epitaphium, & pleraque alia, quæ uobis uoluptatem speramus allatura. Valete, & operam hanc meā, quam uobis uolentibus nauare coactus sum,

boni consulite. Ex Vicen-

husio 14. Februarij

Anno

M D XXXIX.

NO-

N O B I L I B V S E T O P T I M A E
Spei Iuuenibus Hermanno Schelo Dano, Pau-
lo Bleichenrodo Gothano, Bertholdo à Man-
delsio, Melchiori à Steinberg, Ascanio à Bort-
feld, discipulis & coniectoribus suis
charis. Anto. Corvinus Grati-
am & pacem optat.

Eccam uobis toties efflagitatam decalo-
gi, symboli Apostolici, & præcationis
dominicæ exegesin, adolescentes charisi-
mi, breuem quidem illam, sed tamen non in-
utilem omnino futuram, si probe à uobis &
perlegatur, & in animi penetralia traiiciatur.
Quanquam autem eo sermonis nitore, ea fa-
cundia, quæ satisfacere eorum palatis, qui ab-
solutam linguae mundiciem ubique requirunt,
possit, non tractentur omnia, tamen operam
dedi, ut de causis religionis nostræ latine &
pie loquerer. Quare si dictionem & ubero-
rem & mundiorem requiretis, sunt ad manum
ERASMI colloquia, è quibus quæ ad linguæ
formandam pertinent, peti possunt. Nos hic e-
loquentiam non ostentamus, sed pietatis nego-
cium, sine quo eloquentia nulla commendabi-

lis esse potest, agimus. Quia in re quis non potius simplicitatem, atque inanem uerborum apparatus requirat? nisi forte uerum non est illud, quod uulgò dicitur: Veritatis orationem simpli-
cem esse oportere. Vos iam nunc date operam,
ut ad reliqua uestra studia, pietatem quoq; ad-
iungatis. Sic enim fiet, ut non tam nobilitate
quam literis & pietate clari olim futuri sitis.
Quis autem neget nobilitatem absque his re-
bus merum Thrasonisum esse? Hæc uos & sci-
re & perpetuò meminisse oportet, si apud cor-
datos homines, quiq; nobilitatem ab eruditio-
ne, pietate, & morum honestate aestimant, in
precio haberi uelutis. Evidem tales uos hacte-
nus gessistis, ut non dubitem, quin generi uestro
singularem aliquando claritatem addituri sitis.
Sed tamen ut in cœpto hoc cursu perseveretis,
admonendi mihi estis. Imo libellum hunc nomi-
nibus uestris in hoc nuncupare libuit, ut conspe-
ctus ac lectus, uestri uos officij semper commo-
nificat. Ad hæc, ut mei erga uos amoris per-
petuus ueluti testis sit. Valete, & cum bonis li-
teris semper pietatē commendatam habete, Mar-
purgi quarta post Lætare, M. D. XXXVII.

Quod

DE DESCENDIS LITERIS
Quod pietatis æque atq; literarum
amantem esse iuuentutem
deceat, Dialogus .I.

Summa huius dialogi.

Puerorum ingenia ; non solum in ijs quæ
ad literarum rationem , uerum etiam quæ ad
pietatem pertinent , à teneris annis diligenter
formari debent : propterea quod literæ sine
pietatis condimento magis obsunt quam pro-
sunt. Quid autem pietas sit, dialogus ipse obi-
ter indicat.

PAEDAGOGVS.

 Cquam hodie puer duxisti li-
neam? Libet enim prouerbio cō-
pellare te. PVER. Quid ni præ
ceptor ? Præter grammaticas aliquot præce-
ptiunculas, insigne etiam apophthegma in me
moriæ thesaurum reposui. PAEDAGOG.
Quodnām? PVER. Pædagogi cuiusdam La-
conici , qui cum accepto in disciplinam puero
quodā interrogaretur , qualem se in formādo
eius ingenio gesturus esset . Efficiam , inquit ,
si quando in theatrum uenerit , ut ne lapis se-

A deat

DE DESCENDIS LITERIS

deat supra lapidem. PAEDA G. Bellā me-
hercle responsio. Vere enim sācum est, quis-
quis humanioribus literis ingenij agrum non
excoluit. P VER. Istud professores quoque
nostros inculcare auditoribus suis non semel
audiui. PAEDAGO. Quā tu igitur &
docilem te & morigerum præbes, quoties ad
honestas disciplinas inuitaris? P VER. Emori
præceptor malim, quām inter id genus saxa
numerari. Et spero hactenus ea me diligentia
ūsum, ut culpari hic meritò non merear. PAE
DAG. Si in cœpto studiorum cursu perseue-
raris, nō est cur te culpem, fateor, sed interim
uti sic pergas, admonendus mihi es. Quod ad
me attinet, non solum ut in literis promoueas
dabo operā, uerume itā ut ad eruditōnē quam
te consecutū confido, pietatē etiam ac morū
innocentia adiungas, efficiā. PV. Hac ratione
& parentes tibi meos perpetuō demereberis,
& mihi cōsules optimē. Sed quā mihi pietatē
prædicas? Aut aliud pietatis genus est, ac eius
religionis, quam ceu per manus patres nobis
tradiderunt, studiosum esse? PAE. Vera pie-
tas est,

ET PIETATE SIMVL.

tas est, Timere Deum, fidere Deo, invocare
Deum, ac pro omnibus beneficijs gratias age-
re Deo, quam postea alia pietas, eaq; externa
excipit. Pietas uidelicet erga parentes, erga
præceptores, erga magistratū, erga patriam:
breuer erga quoslibet. Qua in re an patres
nostrī semper ea quæ sacrī literis consenta-
nea sint, senserint, nescio: certe hoc nemo fa-
cile inficiabitur, quod plerique ex illis ceremo-
niarum & rituum quorundam extēnorū stu-
diosiores fuerint, ac pietatis illus, quæ & ger-
mana & literis sacrī prodita est. PVER. Ve-
ra hæc esse possunt, sed tamen commodius,
opinor, ubi adoleuero discentur. Ego iam me
literis totum dedam, de religionis studio post
futurus solicitus. PAE. Quid? Pluris literas
ac religionem facis? Istud uerbum post hac ca-
ue abs te audiam. Literas & ego amo, & ne-
scio an facile hic cuiquam cessurus sim: cæte-
rum si alterutra re carendum sit, malo pieta-
tem absque literis, quam literas absque pieta-
te: non aliter atque ille, qui uirum absque pe-
cunia potiorem habebat, quam pecuniam abs-

A 5 que ui-

DE DESCENDIS LITERIS

que uiro. PVER. Rogo te mi præceptor, ut
ne mihi propter unum atque item alterum uer-
bum temere prolatum, succenseas. Ego enim
quid expeditat, quidue minus, per ætatem non
dum video. Paratus tamen, si quid recte mo-
neas, sequi. PAE DAG. Facis quod obse-
quentem discipulum decet. Vide tamen ut re-
ete, quid uelim, intelligas. A literarum studijs
tantum abest, ut te transuersum rapi uelim, ut
etiam perpetuum te earundem cultorem ma-
nere cupiam. Sed interim futurus tibi autor no-
sum, ut profanas literas pietati præferas. Qui
philosophorum disciplinas olim se etabantur,
non solum uocabula ex ipsis habebant, uerum
etiam scita eorundem, non secus ac suos digi-
tos tenere cogebantur. Cur non ad eum mo-
dum nos quoque, quum à Christo nomen ha-
beamus, Christianæ doctrinæ, adminis sum-
mam tenemus? Negat Quintilianus Orato-
rem dici posse, qui non idem sit uir bonus. Et
Lucianus in Eunicho, ineptum illud philoso-
phorum genus ridet, qui propter barbitium ac
pallium eam sibi professionem uendicabant.

Nihilo

ET PIETATE SIMVL.

Nihilo minus et nos ridiculi sumus, cum Christianarum rerum prorsus ignari, Christianitatem interim dici & uolumus & sustinemus.
PVER. In iycis mihi profecto magnam cum curam, tum solitudinem eas res, de quibus dicis, cognoscendi. Quod si molestum tibi non est, rogo uti compendio quodam, pietatis illius summam indicare mihi digneris, habiturus auditorem plane attentum & docilem. PAED. Ocio ad eam rem opus est, proinde cras à prædio redibis, quo uoti huius commodè compos efficiare. Ego iam aliorapior. PVER. Certe redibo, ut ne Christianus Christi mei diutius ignorem dogmata.

De lege, & cur lata sit, dialogus .II.

Summa huius dialogi.

Duplici de cauſa legis & decalogi præcepta lata sunt. Principio propter improbos, ut qui ultro facere officium recusant, uel pœnæ metu ab improbitate deterreantur. Huc pertinet: Lex iniustis posita est. Deinde ut & imbecillitatis nostræ nos commonefaciat, & agnitis peccatis ad Christum ableget. Huc pertinet

DE DESCENDIS LITERIS
pertinet: Per legem cognitio peccati. Neque
enim lex aliter ac per Christū impleri potest.

PVER.

REdeo præceptor colendissime, ueluti ius-
sus eram. Tu nunc promissorum memor,
quæ Christianum scire potissimum oporteat,
quam fieri potest breuissimè, indica quæso.
P A E D A G. Docilitatem istam tuam ac ani-
mum discendi cupidum, uehementer probo.
Huiusmodi enim ingenij, apertæ solent esse,
ut prouerbio dicitur, Musarum ianue. Quod
si ad hunc modum omnes adfecti essent, qui
animum ad literarum studia adpellunt, non du-
bito, quin aliam faciem res mortaliū breui
habituræ essent. Proinde quod uis & libenter
& compēdio facturus sum. **PVER.** Agnosco
fidi præceptoris animum, cui etiam si quando
uel facultas uel oportunitas dabitur, gratiam
& que impigre referam. Sed quæ tandem scire
Christianum oportet? **P A E D A G.** Tria po-
tissimum cathecumenis olim tradebantur. **PV.**
Quæ nam? **P A E D.** Decalogus, fidei symbo-
lum, & oratio dominica. **P V.** Hæc ego iam-
pridem

ET PIETATE SIMVL.

pridem ad uerbū & edidici et recitare, si opus
fut, possum. PAED. Credo, sed memineris fa-
cilius hæc edisci, atq; intelligi. Porro de præ-
ceptis decalogi prius percontabor. Scis cur la-
ta sint? num uiribus nostris præstari possint?
quidq; sibi uelint? PVER. Hisce de rebus ne-
uerbum quidem audiui unquam. PAEDAG.
Scias igitur dupli de cauſſa legis præcepta
lata esse: Principio propter facinorosos, ut
quum suapte ſponte, id quod rectum eſt, face-
re recuſent, uel metu pœnæ, quam coniunctam
habent, in officio contineantur. PVER. At qui
ego credebam metu pœnæ uel facere uel omit-
tere aliquid, rem plane infrugiferam eſſe, ni-
mirū quæ à poëtis quoq; his uerſibus notetur.

Oderunt peccare boni uirtutis amore,

Oderunt peccare maliformidine pœnæ.

PAEDAG. Evidem illis, qui coacti officiū
faciunt, plane infrugifera eſt, sed tamen frugi-
fera interim eſt Reipublicæ, cuius pax hac ra-
tione conſeruatur. PVER. Intelligo. PAED.
Altera cauſſa & ad conſcientiam pertinet, &
cum pietatis negocio coniuncta eſt. PVER.

Quis

DE DESCENDIS LITERIS

Quis ergo est præceptorum in hoc negocio
Iesus? PAED. Ostendunt quid facere, quidue
omittere debeamus. Ibi uero quum imbecillior
natura nostra sit, quod ut præstare, quod præ
cipitur possit, fit, ut intellecta imbecillitate no
stra, plane peccatores nos esse agnoscamus,
adq; Christum, cuius solius & auxilio et præ
fido lex impletur, confugiamus. PVER. Lex
igitur iuribus nostris præstari non potest?
PAEDAG. Non potest Maiora enim præ
cipit, quam quorum per se caro capax esse pos
sit. Exempli graria: Lex timorem Dei, dile
ctionem Dei, fiduciam erga Deum: breuiter,
ipso cordis affectus requirit. Contrà, Caro
Dei ignorans est, non timet Deum, non diligit
Deum, non fudit Deo, nimirum cæca & pessi
mis obnoxia affectibus. Legem igitur qui im
plere posset? PVER. Ad hunc modum legem
prædicare, damnare est. PAE. Ego epanor
thos in addam: Legem sic prædicare, unde dæ
natio proficiscatur, ostendere est. PV. Plane
in biuum me abducis. Nam si lex impleri iuri
bus nostris non potest, & tamen nihilominus,
ni pre-

ET PIETATE SIMVL.

ni præstetur, damnationem interminatur, quo modo ergo salutem consequemur? PAE. Per Christum. Is enim solus legem impletat, non sui, sed nostri caussa, ita ut quisquis in ipsum crediderit, impletionis huius particeps futurus sit. PV. In Christum igitur quisquis credit, legem implet? PAED. Maxime. Sed hac de re, ubi quid præcepta legis sibi uelint, adeoq; ut intelligenda sint tractabitur, copiosius dicemus. Tu interim cur lata sit, & an uiribus nostris præstari possit, edisces, ne prolixitas fasti diu tibi pariat. PV. Fiet, sed cur scripturis tua non confirmas? PAED. Recte mones. De primo legis usu Paulus dicit: Lex iniustis posita est. de altero idem testatur: Per legē inquiens, cognitio peccati. Iā quod uiribus nostris præstari nō possit, Petrus in actis Apost. ostendit ijs uerbis: Quid tentatis Deū, ut imponatur iugū super cervices discipulorū, quod neq; nos, neq; patres nostri portare potuimus: Hæc omnia probè obseruabis, ne ad alias logomachias abductus, aliud sentire incipias. si quando alio ueneris. P V E R. Laudabis diligentiam.

De

DE DESCENDIS LITERIS
De primo mandato, Non habebis
deos alienos, Dialogus III.

Summa huius dialogi.

Primum præceptum, quo ut alienos deos fu-
giamus, præcipitur, hoc sibi uult, ut uerū Deū
timeamus, amemus, reuereamur, pro fidei an-
cora habeamus, breuiter, ut illi soli, contem-
ptis creaturis omnibus, cordis nostri fiducia
adhærescamus. Quicquid enim uero illo Deo
charius habetur, cordis idolum est.

PAEDAGOGVS.

QVÆ de legis usu diximus heri, puto
in memoria adhuc habere te. PV.
Imò et ea quæ de naturæ nostræ dixisti imbe-
cillitate probè adhuc teneo. PAE. Interimut
ne eorum, quæ de Christo quoque diximus
obliuiscare, uides sis caueas. PVER. Cauebi-
tur. Tu nunc quid sibi primum illud mandatum
uelit: Non habebis deos alienos coram me,
qua soles breuitate edissere. PAED. Moses
decalogum in duas tabulas, Deo ita iubente,
redegit. Prima quid Deo, Altera quid homi-
nibus debeat ostendit. Iam primum illud
primæ

NON HAB. DEOS ALIEN.

primæ tabulæ præceptum, germanum Deicul
tum præscribit: nimirum, ut illum solum timeā
mus, amemus, reuereamur, pro fidei ancora hæ
beamus: breuiter, ut in illius tantū bonitatem,
contēptis omnibus creaturis, cordis nostri fidu
ciam cōijciamus. PV. Maxima sunt, quantum
audio, quæ præcepto hoc exiguntur, quæq;
humanis viribus uix præstari queant. PAED.
Hoc est quod antehac dixi, ad præstandam le
gem Christo opus esse. Is enim, si quando spi
ritu sancto nos perfundat, efficit, ut ea quæ
præcipit lex impigre præstemus. Quod si etiā
ab hoc spiritu uacui, præstemus aliquid in spe
ciem, tamen quicquid id est, nil nisi hypocrisis
est, tantum abest, ut externam operum laruā,
si fides non adſit, moretur Deus. PV. Externā
igitur uitæ sanctimoniam in uniuersum dam
nas? PAEDAG. Nihil minus. Imò si uotis pro
moueretur aliquid, optarim omnes homines,
qui Christi doctrinam aspernā:ur, tales esse,
quales olim & philosophi pleriq; fuerunt &
hypocritæ. Vicunque enim hæc uiuendi ratio
ad iustificationem nihil faciat, tamen publicæ

B trans.

DE PRIMO MANDATO.

tranquillitati hac ratione consultum esset. Ego autem hic de uerè Christianis loquor, qui imbre spiritus sancti perfusi, à solo Deo pendunt, soli Deo fidunt, solum Deum patris loco habent. Hi enim auxiliatore Christo soli legem præstant. PV. Ne tu mihi stupenda narras. Nam si quis hac & qua lance æstimet, ueror ne bona mortalium pars sit impia. PAE. Ego neminem damno, neminem proscindo, neminem satanæ obrudo, etiam si Christum ipsum uideam prædixisse, credentium numerum semper pusillum fore. Tantum id, quod institutum nostrum poscit, indico, nimurum quod qui Deum non timent, non diligunt, non reuerentur, Christiani non sint. P V E R . Externum hactenus cultum ferè usserunt concionatores nostri. Hæc autem, de quibus dicas tu, à paucissimis & animaduersa sunt & uulgo tradita. PAED. Tu igitur si me audies, ad uerum Christianismum posthac, ne cum phariseorum gente pereas, adspirabis. Id enim si feceris, iam dubitare non debes, quin & seruatur te Deus per Christum sit, & perpetuam

tui

NON HAB. DEOS ALIEN.

tu rationem habiturus. Dixit alicubi Cicero:
Deum magna curare tantum, parua uero ne-
gligere. At uero ab ea tu sententia abesse de-
bet quam longissime. Parem enim pro omni-
bus, qui se timent, amant adeoque patris loco re-
uerentur, rationem habet, siue admirabiles in
mundo sint, siue despicabiles, ne que unquam
personarum respectus fuit. P V E R. Hæc &
credo & diligenter memorie traditurus sum.
De secundo mandato, Non adsumes nomen domini Dei tui in vanum, Dialogus IIII.

Summa huius dialogi.

Secundum præceptum de nomine Dei non
in vanum assumendo, hoc sibi uult, ut gloriam
& maiestatem Dei ubique prædicemus, glo-
rificemus, confitemur, inuocemus, gratias ei-
dem indefinenter pro collatis in nos benefi-
cijs agamus, & ab eorum perfidia, qui nomi-
ne hoc sacratissimo uel ad blasphemias, uel ad
peierationes, uel ad incantationes, uel ad im-
posturam ac fraudem abutuntur, prorsus alie-
ni sumus.

DE SECUND O MANDATO,
PVER.

B Elle profecto res procedit . Nam quanto
magis magisq; de ihs, quæ ad religionis stu-
dium pertinent , cogito , tanto magis huc ra-
pior incendorq; adeo , ut quauis Ambrosia quo-
uis ne Etare suauiora mihi uideantur , quæ hisce
de rebus à præceptore mihi meo hactenus au-
dita sunt . Sed eccum prodeambulantem, adi-
bo , auditurus secūdi præcepti exegesin . Salue
præceptor . PAED . Et tu fili salue . Sed quid si
bi uult primum primæ tabulæ præceptum ? Re-
petere etiam , ea quæ audis , soles ? PV . Soleo ,
et quidem diligentissime . Et percunctanti ti-
bi respondeam . Deos alienos non habet , qui-
quis Deum solum timet , amat , diligit , reuere-
tur , proq; firma spei ancora habet . P AED .
Recte iam nunc quid secundum sibi uelit , Non
adsumes nomen Dei tui in uanum , audies . PV .
Iam dudum me attentum reddidisti . P AED .
Fiduciam ac timorem Dei , confessio , præ-
dicatio , inuocatio , et gratiarum actio sequi
solent . Quare cum timorem ac fiduciam cor-
dis erga se , primo præcepto exegerit . Iam
nunc

NON ADSVMES NOMEN.

nunc ut se confiteamur, prædicemus, muoce-
mus, glorificemusq; præcipit. Quia in re iterū
obseruabis, ad impletionem huius præcepti
spiritu opus esse. PVER. Cur istuc? PAED.
Dei nomen libere coram mundo confiteri, ma-
ius quiddam est, quām quod viribus suis præ-
stare homo possit, id quod de invocatione quo-
que ac gratiarum actione intelligas oportet.
Neq; enim statim, quisquis multa de Deo gar-
rit ac eius uerbo, modis item aliquot uerbo-
rum in templis effundit, uel prædicasse nomen
domini rite, uel inuocasse credēdus est; fiducia
cordis hic oportet adfit, si audire non uoles:
Hic populus labijs me honorat, cor autem eo-
rum procul à me abest. PV. Si restet quod di-
cis intelligo, hoc uis, ut corde iuxta ac ore do-
minus inuocemus, prædicemus confiteamur,
glorificemusq;. PAE. Acu, quod dicitur, rem
tangis. PV. Quotusquisque autem est, qui ad
hunc modum isti præcepto satisfaciat? PAE.
Eorum numerus profecto perpusillus est. At-
que utinam ad hanc hypocrisim, plerique insi-
gnes etiam in nomen Dei non adiungerent

NON ADSVMES NOMEN.

bl. sphemias, dictu enim mirum, quām hic uul-
gus impigere soleat. Nihil tam fruolum dici-
tur, nihil tam ineptum in medium adfertur, cui
non in uanum Dei nomen adhibeat, quin ad
fraudem ac imposturam sanctissimo hoc no-
men nonnulli etiam abutuntur. PVER. Ne-
gari hoc non potest, etiam si usū quodam ple-
rosque hic magis, quām malitia peccare ui-
deam. PAEDAG. Idem conqueritur Mycili-
lus ille apud Lucianum, cupiditatem se, qua à
puero ad diuitiarū amorem rapius sit, dedisse
re non posse, Sed neque usus, neque inueterata
consuetudo quæpiam, si quando ad tribu-
nal summi iudicis uētum fuerit, excusabit nos,
nisi forte pœnam huic præcepto frustra Deum
addidisse credendum sit. Non, inquit, inson-
tem eum habebit, qui nomen domini Dei sui
in uanum assumpserit. PVER. Cur igitur bla-
phemis istis à magistratu non iur obuiam?
PAEDAG. Apud Iudeos certe parata bla-
phematoribus istis pœna olim erat, ut qui fa-
xis in eosdem degrandinare soliti sint, Sed a-
pud nos, prohdolor, quidlibet cuivis licet.

Proutde

DE TERTIO MANDATO.

Proinde tu operam dabis, ut amore potius ac
pœnæ metu, ab omnibus ijs, quibus nomë Dei
polluitur, abstineas. PVER. Fiet modo Chri-
stus dexter ac propicius in pulcherrimo hoc
instituto adesse dignabitur.

De tertio mandato, Memento ut
diem sabbathi sanctifices,
Dialogus V:
Summa huius dialogi.

Tertium præceptum, quo ut sabbathi diem
sanctificemus, præcipitur, hoc sibi uult, ut di-
ligenter ad audiendum uerbum conueniatur,
diuina erga nos beneficentia recolatur, quic-
quid labis per hebdomadam contractum sit
abijciatur, orationi uaceatur: breuiter ut totus
hic dies audiendo uerbo & pijs studijs con-
secretur.

PAEDAGOGVS.

H Eus puer dic. PV. Quid dicam? PAED.
H Quia in re secudi præcepti impletio sita
fit. PVER. In confessione, prædicatione, in-
uocatione, glorificatione & laude sacrofan-
eti nominis Dei. PAE DAG. Macte animi

B 4 virtu-

DE TERTIO MANDATO.

uirtute puer, sic itur ad astra. Agnosco ueterem diligentiam tuam. Est tamē quod te moneam. Si quando uel pro ueritatis confirmatione uel pro utilitate proximi, iurandum sit, per dominum nomen iurabis: Alias omnis generis peierationes non aliter atque aconitum fugies . PV. Vtinam tertium præceptum tam bene intelligerem quam hoc quod mones, diligenter facturus sum. PAE. In præcepto quod sequitur, sabbathi sanctificatio præcipitur, res adeo necessaria, ut citra hanc Christianismus constitere haud possit. Mira est enim in uerbo sanctiificandi emphasis. PV. Quid igitur est sabbathum sanctificare? PAEDAGO. Est festis diebus ab operibus servilibus in hoc feriari, ut ad audiendum uerbum conueniamus, diuinorum in nos beneficiorum magnitudinem recolamus, si quid labis per hehdomadam contractum sit, deponamus, orationi instemus: breuiter, ut totum hunc diem audiendo uerbo & sanctis studijs consecremus. Iudæis olim septimus dies ex domini iussu, nobis uero ob reuerentiam resurrectionis dominicæ octa

HUS

MEMENTO UT DIEM SAB.

uus dies sacer est, quem tamen ita sacrum
habemus, ut quicquid huius facimus, non legi-
bus ullis coacti, sed sponte, hilariter, & libe-
re, quo decenter omnia fiant, faciamus. PV.
Si ad eum modum feriaremur Christiani, to-
lerari opinor apud nos. & alij aliquot festi di-
es possent. PAE. Quid ni? Aut commemora-
ta paulo ante opera culpari possunt? Huc ad-
de quod charitatis quoq; opus est cum iumen-
tis tum hominibus qui opus faciunt, reliquorū
dierum labore defessis, quietis nonnihil per-
mittere, ut tanto postea ad opus, recollectis
uiribus, alacriores redeant. PV. Huc referri
igitur & illud potest.

Luce sacra regescat humus, regescat arator,
Et graue suspenso uomere cesse opus.

PAE. Potest. Sed ante omnia curandum est
hoc, ut familia, quæ reliquis diebus occupati-
or est, q; ut sacris concionibus interesse possit,
illis ipsis festis diebus in uerbo domini erudia-
tur instituaturq;. PV. Iam si omnia hæc negli-
gentur, adeoq; multidudo ijs ferijs, ad aleam,
ad luxum, ad ebrietatem, adq; choreas abuta

DE QVARTO MANDATO.

tur, quid de ferijs hisce tum' iudicabis? PAE.
Saturnalia potius, ac ferias dicam. PV. Cur
ita? PAE. Propterea quod in his quoq; teste
Luciano, ludebatur, bibebar, saltabatur, ut
interim obsecniora ista, quæ hisce diebus de-
signabantur, taceam. PV. Ista profecto nō pla-
cent. PAE. Da operam igitur, ut sabbathi di-
em ac omnes Christianorum ferias, quas omni-
no ferendas propter uerbi prædicationem ar-
bitror, si in immensum non crescant, sacris cō-
cionibus, precationi, pijs studijs, adeoq; omni-
bus bonis operibus consecres. PV. Ita hac in
re officij memor ero, ut ne competere unquam
illud in me possit: Ignavis semper feriæ.

De quarto mandato, Honora Pa-
trem & matrem, Dialogus VI.

Summa huius dialogi.

Quartum præceptum, non solum hoc sibi
nulli, ut parentes quibus secundum Deum uitæ
debemus, honoremus, reuereamur, aliam, om-
niq; beneficiorum genere adficiamus, uerum-
etiam ut herbi quoq; ministris, magistratui,
præceptoribus, tutoribus, & quotquot paren-
tum

HONO. PATR. ET MAT.

tum loco nobis esse possunt, obediamus et modum geramus.

PVER.

Quæ ad succinctam præceptorū primæ tabulæ explicationem faciunt, præceptor humanissime, ea mihi fide abs te sunt tradita hactenus, ut ad reliqua quoq; cognoscenda, stimulū mihi plane addideris. PAE. Ea est Christianæ doctrinæ natura, ut quanto altius in nobis radices agat, tanto magis appetatur ameturq; tantum abest, ut fastidium uel sciat uel habeat. PV. Quin mihi igitur quartū quoque præceptum explicas? PAE. Fiet modo illud obserues, priorem tabulam ea quæ ad uerum dei cultum pertinent tradere, uidelicet, ut timendus, ut amandus, utq; pro benignissimo patre habendus sit Deus. Iam nūc secunda ciuiles mores format, adeoq; politica uiuendi rationem ostendit. Non solum enim ut parentes honoremus, reuereamur, alamus, omniq; beneficiorū genere adficiamus, quartū hoc præceptū exigit, uerum euīā ut quotquot parentum loco nobis uel sunt uel esse possunt in precio

DE QVARTO MANDATO

in precio habeamus, quales sunt ministri uerbi, magistratus, præceptores, tutores etcete. Nam ijs ex æquo omnibus cum reuerentiam eum obedientiam debemus. PV. Istuc & à parentibus meis edocitus sum, non impune latrum, q ijs quibus parere debet, immorigerum præbeat seſe. Sed qua ratione, cōcionatores, magistratus, præceptores, ac tutores parentibus æquas? PAE. Audies, Cōcionatores per uerbum ad uitam nos generant: magistratus uim à nobis arcent, utq; ab iniuria tuti simus, efficiunt: præceptores animū moribus & eruditione formant: tutores in demortuorum parentum locum succeduunt. An non igitur parentem cum parentibus honorē merentur? PV. Negari hæc non possunt. PAE. Da igitur operam, ut non solum erga Deum, uerum etiā erga parentes, ac omnes in officijs publicis constitutos, pius sis. Debet enim cum interna pietate, exterior illa bene uiuendi ratio cōiuncta esse. PV. Venit mihi hic in mentem quiddam. PAE. Quid? PV. Illud de Ciconia exemplū, cuius nuper inter prælegendum mentionem fecisti.

HONORA PAT. ET MAT.

cisti. PAE. Recte mones. Quemadmodū enim
auis illa, parētes suos senio confectos, uicissim
alit, uolandiq; impotentes in humeris uehit: ita
nos quoq; erga parentes adfectos esse conue-
nit. Ita enim fiet, ut non solum pœnam, huius
præcepti transgressoribus intentatā, effugia-
mus (pari enim vindicta & deorum & parē-
tum uiolatio expiatetur, uel Valerio Maximo
teste), uerum etiam præmij quod obedienti-
bus propositum est, participes fiamus. Neq;
enim frustra dicit: longæ uam uitā habituros,
q; præcepti huius obseruantes sint. Quid? An
non in ipsis etiam Comedijs præcepti huius
commendationem uidere est? Parenti, inquit
apud Terentium Pamphilus, potius q; amori ob-
sequi me oportet. Taceo illud Aeneæ apud
Virgilium.

Ergo age chare pater ceruici imponere no-
stræ

Ipse subibo humeris, nec me labor iste gra-
uabit.

Quo res cunq; cadent, unum & commune
Vna salus ambobus erit. (periculum,
Pro-

DE .V. MAN. NON OCCL.

Profecto nisi hanc ethnicorum erga parentes pietatem Christiani uicerimus , nihil est quod Christianismum iactemus . PV . De me dubitate nullus debes , quin propicio Christo semper dicto audiens futurus sim .

De quinto mandato , Non occides ,
Dialogus , VII .

Summa huius dialogi .

Non solum qui gladium in uiscera proximi stringit , uerum etiam qui fratrem uel calumniatur , uel odit , uel occulta obtreptatione proscindit , uel inuidia laborat , uel signo quopiam animi testatur malevolentiam , homicida est . Sic Ioannes inquit : Qui fratrem odit , homicida est . Et apud Christianos mutua dilectio , mutua benevolentia , & mutua officia perpetuo conspici debent .

P A E D A G O G V S .

 Vid turbæ apud forū est ? PV . Plebs tumultuatur . PAE . Qua de caussa ? PV . Ob rem plane nihil . PAE . Vnde igit tantus populi concursus ? PV . Ut recte intelligas : Ex nihilo orta est hæc tragœdia . Rustici aliquot

DE .V. MAN. NON OCCI.

quot depositis nucibus lusere tesseris. Ea in re
quū alter alterum fallere uideretur, uenīū pri-
mo est ad iurgia, à iurgijs ad pugnos ac colo-
phos, à colaphis ad gladios & sanguinē, quod
nisi ciuium concursu sedata fuisset ista tragœ-
dia, consecrissent se beluae istae mutuis uulneri-
bus. PAE. Sic è parua scintilla, ingens sepæ
conflatum est incendiū. Sed hoccine est feria-
ri? Siccine catechismum multitudo hisce die-
bus discere solet? PV. Hoc hominum genus
quam feriatur, alijs operibus occupari non so-
let. PAE. Quid si cædes tumultum hunc ex-
cepisset? An non tum id mandati, Non oc-
cides, pulchre præstirissent? PV. Commo-
dum mandati huius mentionem facis. Nam, ni-
si fallor, ordo ipse, ut hoc ipsum explanes,
poscebat. PAEDA. Nihil falsus es. Loquitur
autem hic Moses, non de cæde solum & san-
guine, uerum etiam de ipsis cordis affectibus,
ut quos ita ad proximi dilectionem & bene-
ficientiam propensos esse uelit, ut etiam uel sig-
no, uel uerbo proximū offendī prohibeat. PV
Deum immortale, si ad eum modū res habet,

ians

DE V. MAN. NON OCCI.

iam nemo erit, qui non reus hic peragi possit.
PAE. Impotens res ira, inò breuis furor est, ne
Flaccus ait, quod cum ita sit, uidendum est, ut
ne irati immemores unquam huius mandati si-
mus. PV. Quid si potentior sit, quam ut re-
primi possit? PAE. Dixi antehac, nisi duce et
auxiliatore Christo, nullum mandatum rite
impleri posse. Quare si nos ira impetat, bileq;
adeo in nasum concire conetur, apprehen-
dendus fide Christus est, adeoq; bonitas illi-
us ac mansuetudo contemplanda. Hac enim ra-
tione maxime mollescet, ne in opus erumpat.
PV. Per paucos opinor ab hoc affectu alienos
esse. PAE. Adde paucissimos. Neq; enim fru-
stra scriptura iubet, ut ne irati peccemus, præ-
terea ne solem occidere super iracundiam no-
stram patiamur. PV. Occidere igitur est, non
solum uim ac manum admoliri, uerum etiā uel
signo quopiam uel uerbo uel re ipsa proximū
offendere. PAE. Tenes. Huc uero addes susur-
rones cōuiciatores, obtrectatores, calumniato-
res, osores, inuidi: breuiter, totam eorum col-
lumnam, qui eis angua teli uice habent, & huc
omnes

DE .V. MAND. NON OCCI.

omnes animi conatus intendunt, ut obſint ac
noceant. PV. Qui ad id genus homicidia pro
penſi ſunt, in extremas orbis partes deportari
debebant, quo uidelicet beluae inter beluas a-
gerent. PAED. Imo nocētores iſ ſunt beluis,
ut enim Iuuenalis inquit: Quandoleoni

Fortior eripuit uitā leo? Quo nemore unq;
Expirauit aper, maioris dentibus apri?

PVER. Ego ab hoc crimine, etiam occulto
quodam naturae ductu abhorreo, ita ut etiam
fontes, ſi quando ſuppl cijs adſciuntur, ad cō-
miferationem & misericordiam permouere
me ſoleant. PAE. Qui fontes pleclunt, præ-
ceptum hoc non violant, de magistratibus au-
tem loquor, qui gladium in hoc geſtant, ut eo-
rum qui humanum ſanguinem effundunt, cor-
pora uicifim occidant, adeoq; coruorum gen-
ti deuoranda obijciant. PV. Puto hinc prouer-
biū natū eſſe, quod qui tales ſunt, Es κόρακες
omniū uotis ablegari ſolent. PAE. Sic eſt. PV.
Quid igitur ut ne hic impinguam, factio opus
eſt. PAE. Nemini ledes, nemini incōmodabis,
nemini iniudebis, amicus omnibus, et benefic⁹

C erga

DE .VI. MANDATO.

erga quoslibet. PV. Id propicio Christo fiet.
De sexto mandato, Non mœcha
beris, Dialogus. VIII.
Summa hujus dialogi.

Præceptum hoc nō solum manifestum ad-
ulterij crimen, uerum etiam omnis generis im-
munditias, scortationes, meretricios concubi-
tus, imò cogitationum quoq; immunditiā pro-
hibet. Decet enim eos, qui Christiano nomine
censeri uolunt, ut nō tam uerbis & operibus,
quam ipsis cordis affectibus perpetuam profi-
teantur castimoniam.

PAEDAGOGVS.

ADes huc puer. PV. Adsum, si quid uo-
les. PAED. Quinti mandati obserua-
tio, qua in re sita est? PV. In mutua dilectio-
ne, mutua beneuolētia, mutuis officijs, adeoq;
perpetua in proximū beneficentia. PAEDA.
Qui hisce rebus inter se certant, recte certant
& nihil, meo iudicio, fecdius est, atq; uinci in
hoc certaminis genere: contrà, nihil pulchri-
us, atque uincere hic & superiorem esse. Sed
paucos uideri est, nostra ætatæ, qui gnauiter
in hoc

NON MOBCHABERIS.

in hoc certamen prodeant, quemadmodum & sextum preceptum plures transgressores, ac obseruatores habet. PV. Si recte memini, Ad ulterium illo ipso prohibetur, dicit enim: Non mœchaberis. PAE. Imò non solum adulteriū, uerum etiam omnis generis fornicationes stu-
praq; uetari hic memineris, & caue hic cum ethnicis sentias, stuprum simplex, ceu rem le-
uiculam æstimantibus. Deus enim ille Opti-
mus Maximus, populū habere uult undequaq;
sanctum & incontaminatum, quiq; nihil omni-
no, quod lege uetitum sit, designet. PV. Hæc
nuper parochum quoq; nostrum populo incul-
cantem audiui. PAED. Huc adde, quod ipsa
etiam cordis mundities, hoc est, ut ne talium
rerū concupiscentes simus, hoc præcepto exi-
gitur. Sic enim Christus inquit: Qui uiderit
mulierem ad concupiscendum eam, hic iam
mœchatus cum ea est, in corde suo. PV. Iam
nunc plane fateri cogor, ad præstandam legē
spiritu opus esse. Quis enim hic non impingit?
PAE. Et tanto magis hic delinquitur, quanto
natura ppensores ad id uitij omnes sum⁹. PV.

C 2 Quotus-

DE VI. MANDATO.

Quotusquisq; igitur saluabitur ? PAE. Si no-
stras uires intueare , plane de salute nostra
actum est , Sin uero in Christi promissiones
fidei defigas oculos, iam credeti omnia possi-
bilia erunt, præsertim si pro munditia hac im-
petranda, nunquam non dicas cum psalmogra-
pho : Cor mundum crea in me deus , & spiri-
tum rectum innoua in uisceribus meis . Porro
ubi semel animæ nostræ sedem, sacer ille spiri-
tus occupauit , ibi fieri non potest, quin omnis
generis immundicias ultro etiam excremum.
Quod si etiam, ut est magna carnis imbecilli-
tas, labi nos hic, quod omen Deus auertere di-
gnetur, cōtingat, tamen ad cor reuersi, mox in
uiam redimus. PVER. Puto tamen corporalia
quoq; exercitia , impetu istum animi non nihil
remorari , adeoq; castitatis aliqua ex parte
custodes esse , nisi forte uerum non est illud :
Sine Cerere & Bacho friget Venus . PAE .
Quid ni? Habent suā efficaciam ieiumū, sobrie-
tas, ocij fuga, oratio, temperantia, cōtinentia ,
& alia id genus. Sed tamen ad impetum animi
retundendum, parum momenti, ni spiritus ad-
sit,

NON MOECHABERIS.

Si, habent. Hic enim Christo opus est. Exempli gratia : Scipio ille Africinus, capta noua Carthagine, scemnam & nobilem, & cuius formam non satis laudare posse uidetur Lilius, contemnere potuit, nimis alijs rebus intentus. Quis autem neget, conspectatanta forma, uarie intus adfectum esse ? Proinde recte dixi, ad internam & externam munditiam, spiritu opus esse. PVER. Quid si hic quoq; impetus ille omnino non cesset ? PAE. Iam eo remedio, quod aduersus morbum hunc Deus instituit, utendum est, nimis matrimonio, quanquam hunc quoq; thorum & modū habere & immaculatum esse conueniat. PV. Si sic res habet, iam dominus exorandus est, ut non tam corpore quam anima immaculatos nos custodiat. PAE. Nihil erras.

De septimo mandato, Non suraberis,
Dialogus IX.

Summa huius dialogi.

Quemadmodū præcepto hoc, cū clancularia tum uiolentia rei alienæ ablatio prohibetur ; ita auaritia quoq; usura, fraus & impostura,

C 3 cum

DE .VII. MANDATO.

cum sub iuris prætextu ea quæ aliorum sunt usurpamus , uetantur . Eftq; occulta quædam in hoc præcepto , ad faciendum opus , contra ocij malum , exhortatio .

PAEDAGOGVS.

ITa ne ais puer ? furem quendam hodie in crucem actum esse ? PVER . Aio , PAEDAGOGVS . Quid sublegerat ? PVER . Argenti pondo bina . PAEDAG . O infortunatos parentes , qui quidem , inutile hoc terræ pondus in lucem ædiderunt . PVER . Dubium non est , quin perpetui luctus ijsdem uulnus infixerit . PAEDA . Intelligis igitur , quod rem & illis & se indignā fecerit ? PVER . Modis omnibus . PAEDA . Tanto æquius est , tanquam in speculum in id genus exempla inspicere te , quæq; fugienda cognoris deuitare . Huc enim pertinet septimum illud præceptum . Non furaberis , cuius explanatio nem ordo noster poscere uidetur . PV . Iam pri dem effeciſti , ut turpibus offendar , honestis uero delector . Sed quam late præceptum hoc patet ,

NON FVRABERIS.

teat, audire cupio. Neq; enim dubium est, quin multa in se contineat. PAED. Furari, non solum est rem alienam surripere, clāmq; auferre, uerum etiam uel ui uel fraude uel iuris prætextu, ea quæ aliorum sunt uendicare usurpare, id quod fere prædones, mercatores, impostores, & usurarij solent. PV. Atqui ijs rebus uehementer peccari arbitror, in rationes politicas. PAE. Recte dicens. In pulchre enim ordinata replublica laboratur, non alienum tollitur, iustitia in emptionibus & contrahibus conseruatur, non læditur, uis pellitur, non tolleratur. Atq; hæc omnia ita fieri, non solum ipsa naturæ lex, uerum etiam ipse Deus præcepit. Proinde recte dicens, alter facientes peccare in rationes politicas. Sed adde, id genus homines, in ipsum etiam Deum peccare omnium politicarum rationum autorem. PV. Quid igitur facere me uis, ut ne hic peccem? PAE. Apud Lacedemonios olim, pueris ut esculenta sublegeret, permisum erat, in epta plane ratione, quāq; hic referre pudet. Ego uero ne tantillū quidem hic iuuē

DE .VII. MANDATO

tuti permittendum arbivor. Neq; enim ea, qui
bus tenera illa ætas assuecit, facile dediscum-
tur. Sed potius sic mea est ratio, & sic in ani-
mum induco meum iuuentutem ad labores ac
opus statim à pueritia assrefaciendam esse,
unumquemq; tamen iuxta uocationis suæ ra-
tionem. Laboribus enim adsueti pueri, rem fa-
miliarem uel augere postea possunt, si tenuis
fortunæ sint, uel conseruare, si quid hæreditæ
ratio iure à parentibus acceperunt, hacq; ratio-
ne cum sibi tum egenis, ac indigentibus pro-
desso. PV. Si omnes ex & quo ad opus cogen-
di sunt, quis tum usus erit literarum? quis ad
honestas disciplinas adjicet animum? P AE.
Dixi antehac, quod obseruare te oportuit,
quemq; iuxta uocationis suæ rationē huc co-
gendum esse. Porro qui ad rerum gubernacu-
la educantur, eaq; in re gnauiter exercēt se,
an nō ij opus faciunt? Qui honestis disciplinis
exornant arimū, idq; in hoc, ut ex & quo omni-
bus postea profint, an non ij quoq; opus fa-
cere iudicandi sunt? PVER. Quantum audio
Totam iuuentutem rationē Deus, paucissimis præ-
ceptis,

DE VII. MANDATO.

ceptis, si pro dignitate explanentur, comple-
xus est. In speciem minutum uidetur, quod di-
citur: Non juraberis, sed quantus, Deum im-
mortalem præceptorum hinc elici cumulus po-
test? Qui iustitiam in contractibus uiolat, fu-
ratur, qui sub prætextu iuris alienum occupat,
furatur, qui facultatibus in proximi perniciem
abutitur, furatur, qui auari sunt, qui usurarij
sunt, qui prædones sunt, qui petenui in necessi-
tate non opitulantur, furantur. Et quid multis?
Video furum plena esse omnia. PAED. Adde
surem à sure sæpenumero in crucem adigi. Sed
oculos Dei non fallent tandem, qui sub magni
nominis umbra (libet Fabij uerbis uii) hic quū
essent rapacissimi, delituerunt.

De octavo mandato, Non dices fal-
sum testimonium, Dialogus X.

Summa huius dialogi.

Hoc sibi præcepti huius exegesis uult, ut
ueritatis amantes, simulationis osores, menda-
cij hostes, à perfidia alieni, omnis denique syn-
ceritatis custodes uigilantissimi simus. Veri-
tatis enim amor, cum ad conseruandas respu-

C 5 blicas

DE VIII. MAN. NON DICES.

blicas ualeat plurimum, tum præsertim in spiritu-
tualibus causis res est omniū & utilissima &
honestissima.

P V E R.

Non Euripus toties currit ac recurrit, præceptor colendiſſime, quoties ego tibi faccio negocium. Sed quicquid huius facio, hoc animo facio, ut aliquando ad meos redditurus, pro allata huc pecunia, & pietatem & literas & mores me dignos domum reportem. PAE. Atqui hæc mihi improbitas uehementer probatur, neque quicquam æquè cupio, quam ut in iurum tum pium tum literatū euadas. Quare etiam iubeo, ut me, quoties libitum est, accedas. P V E R. Quin igitur, quid sibiuelit nonum præceptum, quo falsum testimonium prohibetur, explicas? PAEDAGOGVS. Impletio huius præcepti in hoc sita est, ut ueritatis tenacissimi simus, etiam in ciuilibus cauſis, simulationis odio flagremus, àque menda-
cio absimus quam longissimè. Nam qui tales sunt, ij nihil minus agunt, quam ut proximum falso testimonio uel opprimant ipsi in iudicio,

scil

NON DICES FAL. TEST.

uel hoc ipsum facientibus consentiant . Ad
hæc omnia syncerè , omnia candidè , omnia
absque fuko cum dicunt tum faciunt . P V E R .
Vtinam ergo huius præcepti obseruantiores
aliquantò essemus . Quanta enim est hoc no-
stro seculo cum perfidia tum insinceritas ? In-
ter centum uix duos reperias , quibus animi
uel æstus uel consilia tuto credere possis . PAE
D A G O G V S . Hoc ipsum res ipsa clami-
tat . Sed quid facias ? Hæc tempora alios mo-
res nō ferunt . Quid quod cōtra hoc præceptū
ab ijs quoque peccatur , qui in negotijs spiri-
tualibus rerum capitæ esse uolunt . Quam ob-
stinatè enim humanarum traditionum defen-
sores , contra ueritatis caussam testificamur ?
Quām tyrannicè de opprimenda ueritate co-
gitatur ? PVER . Sic olim falsorum testimoniū te-
stimonio opprimēdus Christus quoq; fuit , quē
iure alioqui adfigere cruci nō potuissent . PAE .
Exemplum placet . Sed scis , qua postea adfe-
cti sint pœna , tam ij qui falsos istos testes sub-
ornarant , quām testes ipsi ? imo ut tota Iu-
dæorum gens perfidiæ huius pœnas dederit ?

Taceo

DE VIII. MANDATO.

Taceo eorum exemplum, qui quum Zusannā testimonij sui perfidia opprimere conarentur, sibi ipsi, ueluti turdus, malum cacarunt. PV.
Qui Iudæis præceptorum transgressoribus nō pepercit, is indubie nobis quoque, ni resipiscamus, parsurus non est. PAEDA. Rechte dicis. Quare etiam operam dabis, ut præcepui huius semper memor, syncerè, candidè, apertè, cum omnibus uerseris, interim ueritatis tenax & osor mendacij acerrimus. In religionis quoque negocio, ijs tantum fidem habeas, qui syncerè uerbum Dei tractant, ijs qui contra apertam ueritatem testificantur longum ualere iussis. PV. Dicto audiens ero. PAED. Sed quid ueritat, quo minus ex poëta etiā ethnico, quād sit fugiendū falsi testimonij crimen, ostendamus? Sic enim Iuuinalis inquit:

Ambiguae si quando citabere testis,
Incertæq; rei, Phalaris licet imperet, ut sis
Falsus, & admoto dicit periuria tauro,
Sūmū crede nefas animā præferre pudori,
Et propter uitam, uiuendo perdere causas,
Dignus morte perit.

Deno-

DE NON OMNIA MANDATO.

De nono mandato, Non concupisces domum proximi tui, item decimo, Non concupisces uxorem & seruum eius, & ancillam & bouem & asinum & omnia quae eius sunt,
Dialogus XI.

Summa huius decalogi.

Duo haec ultima præcepta satis arguunt, affectus quoque ac cor ipsum ad implendam legem requiri, adeoq; quum concupiscentia illa ueterum rerum agnata nobis sit, neque nostris uiribus extingui possit, spiritu nobis, cuius auxilio impleatur lex, opus esse.

PVER.

QVIS mihi heri ex Iuuenale recitasti Versiculos, non sine singulari admiratione, memorie commendauit. PAED. Cur ita? PVER. Quod poetam prophanum, eumque obscenum, ad noui præcepti sententiam tam prope accessisse uideam. PAED. Mirum ne id est? An non audisti unquam, insculptam esse omnium hominū animis quandam de Deo & communis societate conseruanda noticiam?

Paulus

DE NONO MANDATO,

Paulus ad Romanos naturæ legem uocat, quæ
in nobis extincta non sit. P V E R. Interim ta-
men puto imbecillius esse hoc naturæ lumen,
quam quo d suis uiribus ad germanam Dei co-
gnitionem peruenire possit. PAEDA. Fateor
hic spiritu & Christo opus esse, ueluti ante à
quoque diximus. P V. Ad hunc modum puto
& decalogi præcepta in speciem præstari pos-
se, quum tamen, quatenus de affectibus agi-
tur, plane cæci simus. PAE. Paulus alicubi di-
cit legem spiritualem esse. Hoc est, quæ nisi
à spiritu perfusis præstari possit. Quis igitur
hic uiribus nostris tribuere aliquid audeat: Si
externum opus tantum exigeret lex, præstare
quod præcipitur, uiribus nostris possemus. At
uero affectus quoque & cor ipsum requirit.
Legem igitur præstare non possumus, nisi spi-
ritu Christi perfusi renouemur. P V E. Quod
internos etiam cordis affectus requirat lex, fa-
cile ut credam inducor, præsertim quum in no-
no ac decimo præcepto, concupiscentiæ etiam
mentionem fieri uideam. PAED. Iam qui con-
cupiscentiam etiam in nobis rerum alienarum
retundi

NON CONCUPISCES.

retundi uult , is indubie non tam externam
quam internam cordis sanctimoniam praeci-
pit. PVER. Duras igitur Christianorum par-
tes ess intelligo. Quis enim hic non delinquit?
Quis tam perfectus est , quem non aliquando
alienarum rerum cœperit desiderium? quem non
transuersum egerit agnata illa carni nostræ co-
cupiscentia? PAE. Vere duræ essent, si non no-
stri causafilium suum Deus pater in terras de-
misisset, aq; legis dñatione nos liberaasset. Imò
tanto duriores futuræ essent, quanto certius
est agnatam nobis eam concupiscentiam esse,
aduersus quam hæc legis præcepta lata sunt.
PVER . Nimirum ab Adam in nos hæc carnis
cum malitia tum cæcitas propagata est dima-
nauitq;. PAED . Negari hoc non potest. Sed
interim hoc quoq; diligenter obserues necessum
est: Quæ primi istius parentis nostri culpa col-
lapsa sunt, ea per unius Christi meritum resti-
tuta esse. Is enim in carne constitutus, & legem
pro nobis impleuit, et mortem sustulit, & eter-
næ beatitudinis participes nos fecit. PV. Quæ
conditione autem , legem & implevit nostri
causæ

DE NONO MANDATO.

causa & abrogavit? Neque enim arbitror o-
ciosos iam nunc nos in utramuis aurem dormi-
re debere. PAED. Abrogata est, non ut ne-
fiat, sed ut ne damnet. Porro quod ad iustifi-
cationem attinet, no nostris uiribus, sed per so-
lum Christum impletur, cuius postea impletio
nostra impletio est, præsertim si fide adprehē-
datur. Quod uero ad obedientiā attinet, præ-
statur etiā ab ijs qui & spiritū nacti sunt & fi-
dem habent, ueluti Apostolus quoq; dicit: Im-
pletio legis est dilectio. Et quanq; ne hic quidē
ad plenum satisfaciamus legi, tamen propter
Christum, præstare eandem dicimur. PVER.
Nimirum huc, quæ dicis tendunt omnia, ut o-
stendas eam esse cordis nostri cum cæcitatem,
tum malitiam, ut nisi auxiliatore & saluatore
Christo, confortes æternæ gloriæ fieri ne-
queamus. PAE. Sic est. Tu nunc ut fide Christū
hunc & adprehēdas et perpetuo retineas,
uide sis operam des. PVER. Fides illa quo potissimum respicere debet? PAEDAG. In pa-
trem creantem omnia, in Christum saluantem
omnia, in spiritum sanctificanem omnia. Sic

enim

PARS .I. SYMBOLI APOST.

enim officia personarum sacræ triados, in scri
pturis fere describuntur. Sed de ijs alias, nimi
rum ubi symbolum tractare cœperimus.

De Prima Symboli Apostolici parte, Dialogus. XII.

Summa huius dialogi.

Primus fidei nostræ articulus hoc sibi uult,
ut creationis beneficium probe agnoscamus, &
in creatoris bonitatē cordis oculos defigam,
certi, quod non solū & ea quæ superne & ea
quæ inferne sunt crearit, idq; per uerbi poten
tiam, uerum etiam quod omnia quæ creauit &
conseruaturus sit perpetuo & gubernaturus.
Potest, quia Deus est. Vult, quia pater est.

PAE D A G O G V S.

D E Symbolo Apostolorum, uerba me he
ri facturum promisi. Recense igitur pu
er primam eius partem. PV. Credo in Deum
patrem omnipotentem, creatorem cœli & ter
ræ. PAED. Quæ de præceptis decalogi dixi
mus hactenus, haud ita iucunda fuere, adeoq;
propter minas cum quibus coiuncta sunt, plus
terroris atq; gaudij nobis incussere. At uero

D quæ

PARS I. SYMBOLI.

quæ iam nunc dicentur, iucunda, lœta, grata, erunt, ut quæ potissimum unde remissio peccatorum petenda sit, ostendant, quidq; polliceri de deo nobis debeamus, indicent. PV. Iam dum aures erigere cœpi. Neq; enim dubito, quin plausibilia hisce derebus dicturus sis.

PAE. Principio autem hic credendi uerbum probe obseruabis. Neq; enim fides nostra in hoc sita est, ut longis uelut ille ait: logis auditorum aures calefaciamus, sed ut Deo ex animo fidamus, inq; illius bonitatem, omnem cordis nostri fidutiam, cōijtiamus. Atq; hoc tanto confidentius facere nos æquum est, quanto ♂ potentior est et melior, in quē nos credere hic confitemur. Potens est, quia Deus est, adeoq; rerum omnium, tam inferarum quam supernarum creator. Bonus est, quia non nostris meritis, sed mera bonitate ductus, ex nihil nos creauit, erga creatos non aliter, atq; pater erga filium adfectus. PV. Cur dei nomen cum patris uocabulo hic coniungitur? PAE. Deus, maiestatis uocabulum est, sereq; ob maiestatē terret, ut ne igitur deterriti tanta maiestate, aliō fidei

APOSTOLICI.

fidei oculos auerteremus , additum est & patris uocabulum. Commodo enim hinc, ut erga nos affectus esse uelit, perdisci potest. PVER. Quibus ergo potissimum rebus, quod pater nobis perpetuo esse uelit, declarauit ? PAE. Principio creatione , deinde filij sui incarnatione , postremo spiritus sancti donatione, quae commodissime symbolum hoc complectitur. PV. De creatione prius audire gestio. PAE. Creatio bonitatem diuinam, dictu mirum, quanto per nobis commendet . An non ingens bonitas est enim, quod ad imaginem & dei similitudinem creati sumus ? PV. At qui in primæ uilla innocentia non perfidimus , nimur satanæ consilio obsequentiores, ac Dei præcepto . PAE. Lapsi in Adam sumus, fateor, sed tamen tanta fuit creatoris nostri bonitas , ut lapsos etiam in gratiam receperit, misso in terras unigenito filio suo, qui in obedientiam istam nostram sanguine etiam suo expiaret. An non igitur nos & creauit & creatos conseruauit ? PV. Non reclamo, sed potius pro tanto beneficio gratias eidem tecum ago. PAE. Iam si per

D 2 ipsum

PARS . I. SYMBOLI.

ipsum & creati sumus, & ad uitam conserua-
mur, quis ergo dubitet, quin perpetuo rationē
nostrī habiturus sit? Proq; miseris filijs suis
perinde atq; benignissimus pater sollicitus fu-
turus? Ludificatur & ridet hanc dei pro no-
bis sollicitudinem Lucianus, in Icaromenippo:
ubi louem percunctantem inducit, quanti triti
cū ueneat in Græcia, num superior hyems te-
tigerit illos, et num holera imbre egeant copio-
siore. Sed ab hac irrisione Christiani animum
abesse oportet, quam longissime, Vere enim
sollicitus pro nobis est Deus, ita ut non solum
in gratiam lapsos à creatione receperit, uerum
etiam hodie quoq; in gratiam receptos, soueat,
alat, tueat, defendat, conseruet, adeoq; pater-
nū erga nos animū testificetur. Quid quod oēs
creatūræ cooperari eleētis in bonum cogun-
tur? PV. Maxima beneficia audio. Atq; uti-
nam grati pro ijsdem, id quod filios decebat,
essemus. Ego certe operam dabo, ut ne in eorū
numero qui ingrati hæc beneficia non agnos-
cunt inueniar. PAE. Id uero tum rite feceris,
si deo patri per Christū fidas, creationis bene-
ficium

APOSTOLICI.

ficiū agnoscas, omnem fiduciam in illū coniunctias, pro certo habens, quod paternum illum erga te affectum, modo tu probi filij officio fungare, nunquam immutaturus sit.

De secunda Apostolici symboli parte, Dialogus, XIII.

Summa huius dialogi.

Secundus fidei nostræ articulus hoc sibi uult, ut in Christum, quandoquidem non solù Deus est, unius cum patre essentiæ & potentia, uerum etiam induit carne humana, morte nostri causa subiuit, perinde atq; in patrē credamus: imo ut persuasi simus, nisi per hunc redimi genus humanū non potuisse. Certe enim solus hic & iustitia & salutis nostræ colophon est.

PAEDAGOGVS.

H Eri de prima Apostolici symboli parte uerba fecimus. Alteram nunc puer recita. PV. Et in Iesum Christum filium eius unicum, dominum nostrū. Qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria uirgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sep-

D & pultus,

PARS .II. SYMBOLI.

pultus, descendit ad inferna, Tertia die resur-
rexit à mortuis. Ascendit ad cœlos. Sedet ad
dextram Dei patris omnipotentis, inde uen-
tus iudicare uiuos & mortuos. PAE. Ut De-
us pater per uerbum nos, ad similitudinem suā
crearit, audisti haec tenus. Iam nunc ut uerbum
illud nostræ salutis cauſsa, carnem induerit,
explicabitur. Ac quidē principio, priusquam
ad incarnationis mysterium ueniatur, obserua
Christum, filium dei unicum & dominum no-
strum dici. PV. Cur dicitur unicus dei filius?
PAE. Propterea quod natura filius & Deus
est. Porro oblata & nobis est filiorum præ-
rogatiua, si credamus. Sed quicquid huius
fit, per adoptionem fit, ut intelligas solū Chri-
stum primogenitum inter multos fratres esse,
ad quē proprie & regni & sacerdotij ius per-
tineat. PV. Mirum ni huc facit & domini uo-
cabulum. PAEDA. Facit, modo interim
obserues, dominum hac quoq; de cauſsa dici,
quod patri, siue potentiam, siue iustitiam, siue
sapientiam species, per omnia æqualis & uere
Deus sit. PV. Quod uere Deus suu credo.
PAE.

APOSTOLICI.

PAE. Imò non secus Christo ac patri fidere debes. Quanq; enim tres diuinitatis perso-
næ sunt, tamen una substantia est, una & ueritas
est, una essentia est, breuiter, unus Deus est.

P V. Hac quoq; de re nullus dubito. PAE.
In Christo tamen, non tam diuinam quam hu-
manam naturam obserues necessum est, uere
enim carnem induit, carnis infirmitates sen-
sit, habitu inuentus, ut Apostolus inquit: ut
homo. P V. Carnem igitur uere ex uirginis
carne suscepit, contra Anabaptistarum sen-
tentiam? PAE. Quid ni? Conceptio quidem
spiritu sancto cooperante, citra omnem uirile
operam, peracta est. Sed tamen carnem puer
post assumpsit ex uirgine, aliorum pueror-
um instar in uirginis utero altus & formatus.

P V. Quæ fuit incarnationis huius cauſa?
PAE. Salus nostra. Neq; enim alia ratione
liberari à peccato, morte, satana ac inferno ge-
nus humanū potuit, quam morte unigeniti filii
dei. Porro passus sub pontio pilato, crucifixus
mortuus et sepultus, tandem etiā, hoc est tertia
die, à mortuis resurrexit, denicēto nimiriū pec-

D 4 cato,

PARS .II. SYMBOLI.

cato, Satana ac inferno, adeoq; omnib; credē
tibus patefacta ad ēternū patriā ianua. Quid
quōd à resurrectione, cœlos concendit, parē
cum patre potestatem sortitus? PV. Ergo ad
patris dextram sedere, est parē cum patre po-
tentiam habere? PAE. Tenes. Interim mihi
hic obserua Christi cum humilationem tum
glorificationem. Humiliatio enim glorificatio
nem præcedit. Passus, mortrus & sepultus,
sordes peccatorum nostrorum abluit. Resur-
gens iustitiam nobes impertivit. Ascendens
in cœlum & de diabolo triumphū longe omni
um spetiosissimum egit, & spiritum misit.
PVER. Credentibus hæc non possunt non
esse iucundissima. Quid enim auditu iucun-
dius, atq; per Christum, absq; operibus &
meritis nostris, à peccatis liberari, iustum
pronuntiari, adeoq; spiritu donari? Certe ma-
ius in nos beneficium diuina bonitas collocare
haud potuit. PAE. Aequum igitur est, ut uni
Christo, perinde atq; seruatori nostro fida-
mus & credamus, omnē cordis nostri & fidu-
tiā & spem in illum coniunctentes. Ita enim fiet,
ut uenienti

PARS III. SYMBOLI.

ut uenienti olim in iudicium , adeoq; uiuos ac mortuos iudicaturo , læti occurramus, immortalitatis coronam accepturi , quam promisit se diligentibus.

De tertia Symboli parte, Dialogus XIII.

Summa huius dialogi.

Tertius fidei nostræ articulus hoc sibi uult, ut in spiritum sanctum quoque , ut qui à patre et filio procedat , eoq; unius cum ijsdem substantiæ et potentiac; sit, credamus. Quemadmodum enim pater creat , filius saluat, ita spiritus in corda nostra træsus, ex impijs piros, ex immundis mundos , et ex prophanis sanctos reddit , omnium bonorum charismatum auctor in Ecclesia .

P V E R.

I Ta mihi dulcescunt, quæ in religionis cauſa hactenus mihi abs te audita sunt præceptor suauissime , ut famem earum rerum in me excitaris, uix unquam satiablem. Quæ res etiam in cauſa est, ut toties redeam , adeoq; oneri tibi sum. PAED. Mihi uero huiusmodi ingenia

D 5 uolu-

PARS III. SYMBOLI

uoluptati magis quam oneri sunt. Cui enim ex nostræ farinæ hominibus , discipulorum suorum profectus non probetur ? PV. Tertiam mihi igitur symboli de spiritu sancto partem elucidat, quæ sic habet: Credo in spiritum sanctum.

PAEDAGO. Dixi antehac, tres diuinitatis personas esse, patrem, filium, & spiritum sanctum . Ac quidem patri creationem, filio redemtionem adscripsimus . Sequitur iam nunc de spiritu sancto, qui ut à patre & filio procedit, ita eiusdem cum patre & filio potentia est, iustitiae est, sapientiae est, gloriae est. Neque est cur hasce tres personas segregemus. Tribuit quidem suum unicuique personæ scriptura officium , nimirum nostræ se imbecillitati, quæ Deum alioqui agnitura non erat , attemperans . sed tamē interim, quod nuper quoque diximus , substantia eadem est , potentia eadem est, gloria eadem est. PV . Quod ergo spiritus est officium ? PAE. Principio dubium non est, quin sanctificet . Transfusus enim per uerbum in corda nostra, fidem in nobis excitat, fides postea remissionem peccatorum impetrat, iusti-

APOSTOLICI.

iustitiam & uitam æternam. iustum autem pro
nunciari, an non sanctificari est? Atq; huc per-
tinet, quod. i. Corinth. 6. dicitur: Sanctificati
& iustificati es tu, per spiritū Dei nostri. P V.
Huc fortassis & illud referri potest, quod M.
Ioannem Rhodophantem, parochum nostrum
nuper concionantem audiui: Nisi quis renatus
fuerit ex aqua & spiritu, non introibit in re-
gnum cœlorum. PAED. Recte. PVER. Sunt
autem indubie & alia pleraque, ad officium
spiritus pertinentia, PAE. Istuc quis neget? In
guarum peritia, prophetia, scientia, patientia,
perseuerantia, & quicquid charismatum ha-
bet Ecclesia, quid aliud sunt, atque dona spiri-
tus? Taceo quod constantiam in confessione ue-
ritatis Euangelicæ suppeditat et fortitudinē q;
consolatur in cruce & afflictionibus, q; coniē-
ptum rerum caducarū et cœlestis uitæ deside-
riū subministrat, deniq; q; solus in cordibus no-
stris filios dei esse nos testificatur. PV. Si uera
sunt hæc, credo aut uerissima esse, iā nemo uel
patrem uel filiū cognoscit, nisi spiritu sancto il-
lustratus. PAE. Quemadmodum absq; imbre
terram

PARS III. SYMB. APOST.

terram fructuose fecundante fructus nulli producuntur, ita absque spiritu dono, Deum neque nouit quisquam, neque rite reueretur. Quatenus autem Deum neque agnoscimus, neque reueremur, eatenus Christiani etiam non sumus. Iam cum filius spiritus donum sit ut patrem & filium agnoscamus, quis ergo neget spiritum natura Deum esse? Proinde qui spiritum perinde atque Deum inuocant, qui spiritu fidunt, quicquid sanctificationem eidem adscribunt, recte atque ordine faciunt, uere enim Deus est, eiusdem cum patre & filio potentiae & gloriae. PVER. Vtinam igitur Deus per hunc spiritum suum corda nostra sanctificare, conseruare, purificare, tranquillare, in gloriam & laudem nominis sui dignetur. PAEDAG. Dignabitur haud dubie, modo serio huius rei gratia interpelletur.

De ecclesia, Dialogus V X.

Summa huius dialogi.

Ecclesia, congregatio est fidelium, in unam eandemque fidem consentientium, quae Christo per fidem insua, non solum a peccatis omnibus libe-

DE ECCLESIA.

liberata est, uerum etiam potestatem quoque
alijs peccata dimittendi, per uerbum & sacra-
menta accepit. Huc enim pertinet: Quodcun-
que solueritis super terram, erit solutum & in
celo, Et quodcunq; ligaueritis super terram,
erit ligatum & in celo.

P V E R .

P Robe mihi trinitatis in diuinitate myste-
rium explicasti, præceptor humanissi-
me, ita ut neque personis, neque personarum
officijs, neq; ipsi substātiae quicquā detractum
sit. Quare rogo, uti nunc, quid sibi sequens il-
le articulus uelit: Credo in Ecclesiam sanctā
catholicam, ex planes. PAED. Cui fidere po-
tissimum debeas, puto ex uerbis tibi meis ut-
cunque hactenus ostensum esse. Nimirum pa-
tri ceu creatori, filio ceu seruatori, spiritui ceu
sanctificatori. P V E R . Ostensum est, fateor.
PAEDAG. Quur ergo credere te dicis in Ec-
clesiam? An' non hoc est creaturam præferre
creatori? P V E R . Vulgo hactenus sic lectum
est. PAEDAG. At qui in ihs, quæ ad fidei ne-
gocium pertinent, neque uulgus, neq; magna-
tes si

DE ECCLESIA.

tes si errant & cæcitant, imitandi sunt. PV.
Vt igitur legere me uis? PAED. Credo Eccle-
siam sanctam catholicam. PVER. Quid ergo
est Ecclesia? PAED. Congregatio fidelium,
in unam eandemque fidem consentientium. Hanc
alicubi Christi sponsam uocat Apostolus, ut
quam iuxta Osee testimonium, in fide, mis-
ericordia & miserationibus Christus sibi de-
sponsarit. PV. Cur sanctam uocamus & san-
ctorum communionem? Nam eam clausulam
expositionis causa adiectam arbitror. An o-
mnes quotquot in Ecclesia sunt, sancti sunt?
PAEDAG. Habet Ecclesia admixtos in hac
terra bonos iuxta ac malos, quemadmodum
tritico interdu paleæ admixtae sunt. Sed hæc
malorum admixtio, pijs obstaculo non est, quo
minus & sancti sint, & sponsa immaculata
Christi. PVER. Cur immaculata uocas, quæ
quandiu in carne uiuit, absque peccato esse non
potest? id enim memini me abs te aliquando au-
dice. PAED. Propterea quod Christo per fi-
dem insita est. Nam si Christo per fidem insita
est, iam omnium quoque bonorum Christi, fa-
cta est

DE ECCLESIA.

Et a est particeps, ita ut illius iustitia, nostra sit
iustitia: illius sanctitas, nostra sit sanctitas: il-
lius mundities, nostra sit mundities: illius inno-
centia, nostra sit innocētia. Quid igitur uerat,
quo minus immaculatam uocemus? PV. Intel-
ligo, sed cur catholicam appellas? PAE. Pro-
pterea q[uod] de uniuersali potissimum Ecclesia hic
uerba fiunt. Catholicus enim uniuersalis dici-
tur. PVER. Ecquam h[ab]et Ecclesia potestatem
habet? PAE. Habet, Soluendi uidelicet & li-
gandi. PV. Quid est soluere? PAED. Perter-
refactis conscientijs remissionem peccatorum,
sifidant, annunciare, ad quam rem pertinet et
Sacramentorum administratio. PVER. Quid
est ligare? PAE. Incredulis & impijs, ni resti-
piscant, iram, iudicium Dei, & perpetuos cru-
ciatus prædicere. PV. Vnde potestatem hanc
habet? PAED. A Christo, Sic enim inquit ad
Apostolos Ioannis ultimo: Quodcunq[ue] solue-
ritis super terram, erit solutum & in cœlo, &
quodcunq[ue] ligaueritis super terram, erit ligatum
& in cœlo. PVER. Quibus medijs autem in
condonandis peccatis uititur? PAED. Verbo

& Sa-

DE REMISSIONE

ES sacramentis, quibus etiam ceu notis, & dignoscitur & ab incredulis gentibus discernitur. Sed hac de re comprobabimur, iam cœ nœ tempus appetit, ad quam mihi properandum est. Proinde ualebis, & ubi commodum erit redibis. P V E R. Tu quoque ualebis

De remissione peccatorum, Dialogus XVI.

Summa huius dialogi.

Propagatione & natura peccatores sumus omnes, damnationi & maledictioni uere obnoxij, antea quam liberemur. Liberamur autem per Christum dominum & seruatorem nostrum, qui redemptionis nostræ ac liberationis thesaurum, per uerbum & sacramenta credentibus distribuit.

P V E R.

VALde mihi adlubescunt, quæ de Ecclesia in proximo colloquio dixisti. PAE. At uero gratiora erunt, si articulus ille de remissione peccatorum aliquantò latius explicetur. Totius enim Euangelij summam complebitur. P V E R. Cum peccatoribus seruandis Christum

PECCATORVM.

Christum uenisse, Euangelium doceat, facile
conuicio, remissionem peccatorum, rem esse in
auribus piorum, longe omnium iucundissimā,
PAE. Exagerari autem peccatū hic oportet,
non extenuari. Vere enim omnes natura pec-
catores sum⁹, maledictioni futuri obnoxij per
petuo, ni per Christum hic & seruaremur, et
iustitia donaremur. PV. Vnde autem tanta in
nobis naturæ corruptio? Tantus ne fuit Adæ
lapsus, ut subiici ex & quo omnes, regno pec-
cati & mortis propterea debuerimus? PAE.
Vere tantus fuit. Transgressus enim Adam di-
uinum mandatum, naturali protinus integrita-
te spoliatus, ac regno peccati & mortis subie-
ctus est. PV. Quomodo autem hæc naturæ
corruptio deriuari innos potuit? PAE. Pro-
verbio dicitur: Mali corui malū ouum. Adam
donata priori illa integritate, spoliat⁹, procrea-
re postea alios non potuit, atq; sui similes, hoc
est, peccatores. PV. Propagatione igitur tales
sumus? PAE. Maxime. Nam huc Davidis il-
lud pertinet: Ecce enim in iniquitatibus con-
ceptus sum. PV. Qua ratione igitur tam fœde-

E laps⁹

DE REMISSIONE

lapsi succursum est? PAE. In obedientia statim sensus irae & iudicij dei exceptit. Quia in re nisi nutabundum, adeoq; quo se uerteret incertum, diuina bonitas sustentasset, dubium non est, quin ad desperationem adigendus fuerit Adam. Addita igitur statim est magnifica de Christo olim uenturo promissio, quam cum in tantis conscientiae terroribus fide adprehenderet, protinus remissionem peccatorum consecutus est. PV. Miru ni postea omnes patres per illiusmodi promissiones seruati sunt. PAE. Recte. Intuentes enim fidei oculis, inuenturum illum Christum, cuius aduentum, repetitae iterum atque iterum huiusmodi promissiones, certissimum fecerant, non aliter per eundem seruati sunt, atque nos, quibus certo quod uenerit & constat & persuasum est. PV. Puto tamen articulum hunc de remissione peccatorum, clarius tradi in Euangelio. PAE. Imò omnia quæ promissa patribus erant, exorto hoc Euangelij iubare, clariora esse cœperunt. Quid enim hoc doctrinæ genus urget aliud ad penitentiam & remissionem peccatorum? Oportebat Christum

PECCATORVM.

Christum pati, inquit scriptura, & resurgere
à mortuis tertia die, & prædicari in nomine
eius pœnitentiam & remissionem peccatorū,
in omnes gentes etce. PV. Cur pœnitentiam,
cum remissione peccatorum coniungit? PAE.
Propterea quod nisi sentientibus et cognoscē-
tibus peccatum, adeoq; huius rei gratia ad
Christum properantibus, remissio hæc obtin-
gere non potest. Pœnitentia enim, quisquis pecca-
tū et agnoscit et detestat, et mundari per Chri-
stum desiderat. PV. Iam ueluti refricas, quæ
de legis usu aliquādō mihi abs te audita sunt,
nimirum quod lege peccatū ostendatur. Euau-
geliu uero remittatur. Sed num remissio hæc
extra Ecclesiam contingere cuiquā potest?
PAE. Nequaquam. Habet enim claves ligan-
di & soluendi sola Ecclesia, Iam alibi peccato-
rum remissionē quærere uelle, quid aliud est,
atque Ecclesiæ autoritatem, adeoq; Christum
ipsum, à quo potestatem hanc habet, contem-
nere ac eleuare? Loquor autem de sancta,
Apostolica, & Catholica Ecclesia, quæ &
uerbum habet, et Sacramentis recte uititur, ne

E 2 me pu-

DE REMISSIONE.

tes de impiornm congregatione hæc dicere.
PV. Quæ res potissimum, remissionem hanc
adpræhendit? audio enim à plerisq; soli fidei,
à plerisq; fidei et operibus simul, hoc ipsum ad
scribi. PAE. Si quis scripturam penitus intro-
spiciat, nullus hic nostris uel operibus uel me-
ritis locus relinquitur, sed Christi tantum me-
rito, quod fides adpræhendere debet, omnia
accepta referuntur. Sic enim Actorum primo
legitur: Christo omnes prophetæ testimonii
perhibent, quod remissionem peccatorum ac-
cepturus sit, per nomen eius, quisquis credide-
rit in eum. PV. O fructū passionis preciosissi-
mum, Sed quo nam pacto tantus thesaurus di-
stribuitur? PAE. Per uerbum & sacramen-
ta, ueluti in superiori quoq; colloquio dixim⁹.
PV. Quot tu Sacramenta numeras? PAED.
Duo. Sed de ijs alias confabulabimur. Iam ea
quæ de remissione peccatorum audisti, uidesis
diligenter perpendas & reputas. PV. Fiet.
De Baptismo, Dialogus. XVII.

Summa huius dialogi.

Quemadmodum Baptismus certum est pœ
nitentia

DE BAPTISMO.

*nitentiae & remissionis peccatorum signum,
ita negari non potest, quin Baptismo & rege-
neremur & in album filiorum dei recipiamur,
id quod cæremonia quoq; huius sacramenti in-
dicat. Immersio enim in aquam, mortificatio-
nem ueteris Adam, extractio renascentiam
significat.*

P V E R.

*S*I bene memini, præceptor humanissime,
duo in superiori colloquio, Sacraenta nu-
merasti. P AE . Recte, Numerare enim (Au-
gustinum secutus) Baptismum & Cœnam do-
mini hic soleo , ut quæ proprie ad promissionē
de remissione peccatorum , pertineant . P V .
Quid uocas sacramentum ? P AE . Inuisibilis
gratiæ, uisibile signum . P V . Quid uocas Bap-
tismum ? P AE . Paulus lauacrum uocat, rege-
nerationis, & innouationis spiritus sancti .
P V . Hoc mihi regenerationis mysterium , la-
tius quæso explica . P AE D A . Dixi nuper ,
propter Adæ lapsum , totam illius posterita-
tem peccati regno subiectam esse . Iam regno
peccati subiectum esse , quid aliud est atq; fi-

E ; lium

DE BAPTISMO.

Ium Satanae & mortis esse? ut ne igit in hoc
Satanæ regno uel maneamus uel pereamus,
opus regeneratione est. P V. Ea uero quo-
modo peragitur. PAE. Per aquam & spiritū,
uel Christo teste, cuius hæc apud Ioannē uer-
ba sunt: Nisi quis renatus fuerit ex aqua &
spiritu sancto, non potest introire in regnum
dei. P V. Tantāne est aquæ uis & efficacia?
PAE. Non, sed uerbi, quod adnexum aqua,
habet. Verbo enim sanctificatur aqua qua ab-
lueris, uerbo spiritus donatur, uerbo remissio
peccatorum offertur. Atque huius rei gratia,
Baptismus alicubi ab Augustino, lauacrum
aquæ in uerbo dicitur. P V E R. Ergo qui
Baptizantur, & remissionem peccatorum et
spiritum sanctum nanciscuntur? PAEDA.
Modis omnibus. Neq; enim aliter regeneratione
fieri posset, quam per aquam & spiritum fie-
ri antea diximus. P V. Quid si malis sint, per
quos tantæ res administrantur? Est ne tum
quoq; eadem Sacramentorum uis et efficacia?
PAEDA. Quid ni? Baptismus & præcep-
tum & uerbum Christi habet, quibus uel ob-
dantis

DE BAPTISMO.

dantis uel suscipientis malitiam nihil decedere potest. PV. Quia intum audio, magna est Sacra mentorum dignitas. PA E. Imo tanta est, ut sine certo salutis dispendio contemni non possit. PV. Donabantur ne etiam res tantae, in Ioannis Baptismo? PAEDA. Eadem utriusque Baptismi ratio est, praeterquam quod Ioannis Baptinus, uenturum Christum testabatur, quem nunc certo exhibitum scimus, utrumque enim et sanctificabantur baptizati et in numerum filiorum dei recipiebantur. Ad haec inter Ioannis et Christi personam, magnum discrimen est, quod obseruari oportet. PV. Num irum omnia huc, quae dicis, tendunt, nisi fallor, ut in Baptismo peccata condonari omnia ostendas, adeoque spiritum conferri. Sed unde post tanta in Baptizatis et renatis imbecillitas? PAE. Omnia peccata in Baptismo condonari, certum est, non ut omnia postea non sint, sed ut ne imputentur. Interim reliqua est in carne nostra concupiscentia, cum qua, quo id uiuimus, letari nos oportet. Porro si credimus omnia nobis peccata in baptismate condonata esse, iam

DE BAPTISMO.

regnare peccatum in nobis non potest , etiam si subinde per imbecillitatem impingamus alii cubi , quemadmodum Paulus inquit : Nihil nunc est damnationis , ijs qui sunt in Christo Iesu . P V E R . Quid per Baptismi cæremoniā significatur ? P A E . Immersio in aquam , mortificationem ueteris Adam , extractio re-nascentiam significat . Proutus enim homo à Baptismo paccato mori & iustitiæ uiuere incipit , memor ibi quid uouerit , adeoq; nomen cui dederit . P V E R . Miror à re tam salutari totq; nominibus commendabili , usque adeo abhorre Anabaptistarum animos . P A E D . Abhorret illi quidem , sed maximo salutis suæ incommodo . Tu uero persuasus esto , toto cœlo errare illos , adeoq; baptismum non tam ad adultos quam paruulos etiam pertinere . Neq; enim uerisimile est , generali hoc præcepto : Euntes docete omnes gentes , baptizantes eos in nomine patris et filij et spiritus sancti , paruulos compræhensos nō esse , quū in ueteri lege ad circuncisionē , quā certo baptism⁹ excepit , admissi sint . P V . Ego phanaticorū istorū homi-

DE COENA DOMINI.

hominum deliramenta, iatum abest ut morer,
ut etiam propemodum audire deditiger. PAE-
DAG. Interim eorum quae de baptismo dixi-
mus memor esto. Quanto enim à Siculis isto-
rum gerris alienior es, tanto te sanæ doctrinæ
decet addictorem esse. PVER. Nihil propicio
Christo prætermittetur.

De cœna domini, Dialogus XVIII.

Summa huius dialogi.

Cœna dominica præceptum Christi, cor-
pus & sanguinem Christi, & promissionem
remissionis peccatorum habet. Quare qui re-
cèt tanto utuntur mysterio, ij & remissionem
peccatorum consequuntur & in fide confir-
mantur et ad ferendam crucem alacriores red-
duntur. Habet autem tantam efficaciam à uer-
bo cui innititur.

PVER.

Ecce autem iterum tibi discipulum tuum
præceptor charissime. PAE. Facis quod
te decet. Neque enim omnia, quae scire Chri-
stianum oportet, tractare hactenus potuimus.

E , P V .

DE COENA DOMINI.

PVER. Scio, hacq; de causa subinde reuer-
tor, auditurus nimirum, quæ supersunt omnia.
Quod si non fallor, ordo noster de Cœna ut
dicas, poscere uidetur. PAEDA. Recte. PV.
Quid igitur Cœnam domini uocas? PAED.
Nihil aliud ac signum uoui testamenti certissi-
mum. PV. Quid est nouum testamentū? PAE
DAG. Remissionis peccatorum, & reconcili-
ationis per Christum partæ promissio. P V.
Quem in usum signum huiusmodi institutum
est? PAEDAG. Ut uacillantes & imbecilles
animos nostros in fide erigat, corroboret, a-
lat, confirmetq;. Cum enim Christus corpus
suum ac sanguinem impertit manducantibus,
testatur passionis suæ beneficium ad omnes e-
lectos pertinere, cuius ita deum participes
futuri sint, si & credant & manducent. Quan-
quam cur nō cœnæ uerba, è quibus omnia hæc
clarius conspici possunt, recitamus? Dominus
Iesus in ea nocte qua traditus est, accepit pa-
nem, & postq; gratias egisset, fregit et dedit di-
scipulis suis, dices: Accipite, comedite, HOC
EST CORPVS MEVM, quod pro uo-
bis

DE COENA DOMINI.

bis datur . Hoc facite in mei commemoratio-
nem, etc. PV. Hisce uerbis cœna instituta est ?
PAED. Est. Ac quidem principio hic obserua-
bis, quod ad sacrosanctum hoc coniuicium Chri-
sti etiam præcepto uocemur, deinde quod non
inane & inefficax quoddam signum, sed uerum
corpus et sanguinem manducantibus exhibeat.
Postremo q[uod] comæstio hæc, si fides accedat,
remissionem peccatorum coniunctam habeat.
PV. Ego uero de Christi hoc præcepto nullus
dubito , imò pro Christiano nunquam habitu-
rus essem, si quis præceptum hic non esse, ne-
gare in animū inducere uellet . De signo quid
aliud dicam, ac Christus? Is, panem cœnæ, cor-
pus, calicem, sanguinem suum uocat, cui fidem
habeo . Iam q[uod] peccata, fide iuxta ac ore man-
ducantibus cōdonentur, tam arbitror esse ma-
nifestum, ut negari nō posſit. Puto hanc tamen
signorum cum dignitatem tum efficaciam tum
uim è solo uerbo pendere. PAED. Maxime.
Absq[ue] uerbo enim signa ne tantillū quidē pro-
delle posſent. PV. Quos autem ad sacrosan-
ctam hanc cœnam potissimum admitti decet ?

Quosli-

DE COENA DOMINI.

Quoslibet ne, an probè in Christianarum rerum cognitione instructos tantum? PAEDA.
Certe absque delectu quoslibet admittere, margaritas porcis obijcere esset. Probet, inquit Paulus, seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. PVER. Qua ratione probatio hæc fieri solet? PAED. Si te sentias famelicum, & alienæ opis indigum esse, hoc est. Si te sentias peccatorem esse, adeoq; sarcina hac peccatorum, nisi per Christum, leuari non posse. Qui sic affecti sunt, sicq; credunt, ij demum dignè utuntur tanto mysterio. PV. Vnde sciri potest, eos qui accedunt, sic esse affectos? Accessuri prius examinantur. Ad hæc, peccatum confidentibus absolutio Evangelica adnuntiatur, quibus etiam post mensam hanc adeundi potestas fit. PVER. Erga facinorosos autem & manifestis criminibus obnoxios, quales hic esse debent parochi? PAED. Ii tanti per arcendi hinc sunt, dum erratum cognoscentes in uiam redeant. Quantum audio, maius quiddam est Christianum esse, quam uulgaris existimat. P A E D A G O G V S. Tu da

DE CARNIS RFSVR.

da operam igitur , ut uerè Christianus fias.

De carnis resurrectione & uita æternā, Dialogus XIX.

Summa huius dialogi.

Quemadmodum per uerbi potentiam crea-
re hominem Deus , cum nondum esset , ex ni-
hilo potuit : ita in puluerem quoque redactum ,
eadem potentia ad æternam uitam possidendā
fuscitare potest , & uult etiam . Est autem con-
solatio Christiano homini ingens , quod post
tantas huius mundi præssuras , aliam tandem
& omnibus ærumijs carentem uitam , perpe-
tuò habuturus sit .

P V E R.

S Alue præceptor . P A E D A . Et tu saluus
sis . Sed quid gestis ? Cur sic frontem ex-
porrigis . PVER . Lætum me facit , ille tam ex-
æctè perpensus , de remissione peccatorum ar-
ticulus . PAEDAG . Interim uide , ut quod tan-
topere arridet , fide etiam adprehendas . PV .
Spero Christum hac mihi in re adfuturum , la-
terem alioqui , quod dicitur , in rebus tantis la-
uanti . PAEDAGO . Eò haec tenus gradum in
pietatis

DE CARNIS R̄SVR.

pietatis negocio fecisti, ut etiam res ipsa cāmitet, illum ipsum adesse tibi. Quod si pari diligentia in cæteris quoque fidei articulis perdisceendas utare, non dubito quin olim in iudicio ē mortis somno expergefactus, uitam æternā habiturus sis. PV. Expergefieri ergo ē mortis somno, ad æternam uitæ beatitudinem, omnes aliquando debemus? PAEDA. Nihil certius. PVER. Neque ego hac de re dubito, etiamsi interim metus sit, ne multi sint, qui securitate quadam Epicuræa ebrij illud ex Virgilio iactare serio audeant:

O pater an'ne aliquas ad cœlū hinc ire putādum est.

Sublimes animas? iterumq; ad tarda reuerti
Corpora? quæ lucis misericordia dira cupido.
PAE. Atqui hoc Epicureorum genus ē Christianorum cœtu profligari debebat. Quid enim persuasione hac falsissima ad seducendam innocentem nocentius? PV. Puto securitatem hanc ex ipsius rei difficultate nasci. Vere enim in oculis rationis difficile est carnis huius, si semel mortua ac computrefacta sit, resurrectionem

ET VITA AETERNA.

nem credere. PAED. Ergo hic fide opus est,
quæ aueris à ratione oculis in Deum omnipotentem intueatur. Vnde enim is hominem, quū non esset, creauit? PV. Ex nihilo. PAE. Reponde. Qui ex nihilo igitur nondum existentem creare potuit, an' non idem in puluerem redactum resuscitare ac reuocare posse, credēdus est? PV. Deo possibilia sunt omnia. PAEDA.
Atque tanto magis mirandum est inueniri, qui Epicuræam istam & Lucianicam de resurrectione opinionem amplecti audet. PV. Puto semper fuisse, qui rem omnū certissimā in dubiū vocare ausi sint. PAE. Fateor. Sed tu vide sis Saduceos istos caueas. Habes enim solidas scriptuæ cū in ueteri tū in nouo testamēto sententias, unde pbari resurrectio carnis nostræ potest irrefragabiliter. PV. Recita obsecro, unā atq; item alterā. PAE. Multi, inquit, Dan. cap. 12. de ijs qui dormiūt in terræ puluere, cui gilabūt, alijs in uitam æternā, alijs in opprobriū sempiternū. An' nō locus hic de resurrectione loquitur clarissimè. PV. Non nego. Expeccio autem unū aliquem ex noui testamenti literis. PAE.

DE CARNIS RESVR.

PAEDAG. Vnum aliquem? At qui uel sexcenti hinc, si cui ocium esset, citari possent. Citabimus tamen unum, sed tamē, cui uel soli quis tutò inniti queat. In Euangelio Ioannis sic inquit Christus: Hæc est uoluntas eius, qui mi sit me, ut omnis qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Hic de carnis resurrectione ac uita æterna adeò manifestè loquitur Christus, ut dubitationi hac in re locum planè reliquerit nullum. PVER. Quales autem resurgemus? PAEDA. Hæc eadem caro, quam & uides & palpas, resurget, sed innouata, glorificata, immutata & transfigurata, quo uide licet conformis fiat glorioso corpori Christi, quemadmodum Apostolus inquit ad Philipenses. 3. PVER. O felices quibus sic resurge re dabitur. PAEDAG. Verè felices, nisi forte felicitas non est, ab omnibus malis, quibus temporaria hæc uita obnoxia est, liberari, a deoq; immortalitate ac perpetua felicitate donari. Quod si uerum fateri uolumus, Nihil est usquam in toto terrarum orbe, quod in omnibus ui-

DE ORATIO. DOMI.

bus uitæ periculis æque consolar nos possit,
atq; hæc de corporum nostrorum resurrectio
ne, deq; uita æterna promissio . P V . Interim
impijs puto, ut mortis, ita harum quoq; rerum
mentionem formidabilem esse . P AE . Quid
ni? cum resurrecturi sint & ipsi cæterum ad
æternos cruciatus . P V . Quin operam igitur
damus, ut ne in istorū numero, adueniens olim
Christus, nos conficiat? P AE . Vel hic dili-
gentes sumus, uel æternos cruciatus expecte-
mus oportet.

De Oratione & Dominicæ preca- tionis exordio, Dialogus. XX.

Summa huius dialogi.

Vt in fide ad finem usq; perduremus, ora-
tio per Christum impetrat, quæ ut in præcep-
tum & promissionem eiusdem Christi sem-
per desigere oculos debet: ita ante omnia me-
mor sit, patrem esse, eoq; ad exaudiendum fa-
cilem, quem in necessitatibus nostris inuocare
iussi sumus. Huc enim pertinet, quod in exor-
dio Dominicæ præcationis pater dicitur.

F Puer

DE ORATIONE.

PVER.

Fidei symbolum, unde quid credere debeamus perdiscitur, puto nunc præceptor absoluisse te. PAE. Multa hisce de rebus dici adhuc poterant, quæ breuitatis studio & consulto omisimus, uidelicet: ut ne theologissare incipientem loquacitate adobrueremus, uel de proximis enim articulis, resurrectione uidelicet carnis & uita æterna, quantus Deum immortalem, dicendi campus superest? Sed breuitatem quum semel professi fuisset, recede re ab ea ne latu quidem unguë debebamus. Interim tamen moneo, ut hac de re Paulum subinde legas, in priore ad Corinthios, capite decimoquinto. Dici enim non potest, quam fideliter hoc ibi argumentum tractetur. PV. Fiet. PAE. Ante omnia uero cauebis, ut ne fidei, quam hactenus tibi tradidimus, synceritatem ullo pacto uitari patiaris. Ea enim ut res magna est, ita hostes, qui extinctam in cordibus nostris cupiant, habet acerrimos. PV. Caueri hoc qua ratione potest? PAE. Si semper orationi intentus, dicas cū Apostolis, domine adauge nobis

DOMINICA.

nobis fidem. PV. Quid est oratio. PAE. Est seria nominis Dei inuocatio, quam postea comitari gratiarum actio solet. PV. Si recte memini, dixisti hac etiam de re, quum secundum primæ tabulæ præceptum explicares. PAE. Nihil falleris. Quid tamen in seria oratione spectandum sit potissimum, dictum ibi nō est. PV. Seria igitur oratio quid potissimum requirit? PAE. Principio ut in præceptum Dei & Christi, quo orare iubemur, defigamus oculos. Hac enim ratione fit, ut nostra neq; incredulitate neq; indignitate (quæ res potissimum orationem remorari solent) ab inuocando de terreamur. PV. Præceptum igitur oratio habet, quod alijs decalogi præceptis æquari posuit? PAE. Habet. Præceptum enim est, quod per Dauidem dicit: Inuoca me in die tribulationis. Præceptum item est, quod Christus dicit: Petite & accipietis. Item: Oportet semper orare, & nunquam deficere. PV. Nimirū hoc tibi uis, Deum, si exauditurus non esset, præcepto nos inuitaturū etiam huc nō fuisse. PAE. Tenes. Huc nunc accedit promissio, in

F 2 quan

DE ORATIONE.

quam nihil minore cura, atq; in præceptum,
intuendum est. P V. Forsan paulo ante citatam
intelligis, nimirum istam: Petite & accipietis.
P AE. Imò quotquot usquam in sacris literis
extant. Nam omnes ex æ quo ad inuocandum
inflammare nos possunt. P V. Mirum ni dili-
genter huius rei gratia & obseruandæ &
ediscendæ sunt. P AE. Ediscendæ sunt fate-
or. Sed fidem ante omnia huc accedere oportet,
quæ promissiones huiusmodi mordicus ar-
ripiat, ijsq; ipsis contra omnē de bona dei erga
nos uoluntate dubitationem sese tueatur. Cre-
dere enim inuocantem oportet, quod certo
exaudiendus sit, etiam si mora quæpiam inter-
cedat. P V. Fidem orantis mirifice promissio-
nibus confirmari credo. P AE. Huc iam nunc
adde, illud in precatione dominica exordiū,
quò de deo non aliter atq; de benignissimo pa-
tre sentire iubemur. P V. Habet, fateor, magnā
gratiā patris uocabulum, præsertim si quis
probe expendat, quantæ maiestatis dei suū uo-
cabulum. P AE. Obserua igitur caussam, cur
patrem in oratione uocare, à Christo iussus
sis.

DOMINICA.

sis. Pater est, quia erga credentes, can-
didissime & syncerissime affectus est. No-
ster est, ne quis imaginetur, nullam sui si cre-
dat, rationem habendam esse. In celis est,
ut uideas omnipotentem esse, quiq; constitu-
tis adhuc in terra filijs opitulari, propter Chri-
stum & possit & uelit. PV. Quem huiusmo-
di cauſſæ ad inuocandum non inuitant, eum
quæ res inuitare possit non uideo. Sed quibus
potissimum uerbis, uti in oratione debemus?
Audiui enim M. Adamum Fulensem nuper
concionantem hac de re, damnantemq; hic
præsertim battologiam. PAE. Virum mihi do-
ctissimum & optimum narras. Cur autem bat-
tologiam nō damnaret, antea à Christo quoq;
damnata? Sed consuluit hic imbecillitati &
ignorantiæ nostræ Christus in Euangelio,
formam nobis præscribens, qua uti in orationi-
bus absq; periculo possemus. PV. Eam formā
rogo ut mihi, quemadmodū cætera hactenus,
explanes. PAE. Hac de re cras agemus.

De prima Dominicæ prectionis
petitione, Dialogus. XXI.

F. Summa

DE PRIMA.

Summa huius diagoli.

Prima dominicæ precationis petitio ostendit, nomen dei tum apud nos sanctificari, cum pater in Christo agnoscitur, glorificatur, colitur, inuocatur, laudatur, pro collatis in nos beneficijs gratiæ eidem aguntur. Deniq; cū non operum sed fidei iustitia prædicatur, creditur, iuuitur, quemadmodum rursus nomen dei poluitur, cum nihil horum præstatetur.

P V E R .

IT a ne ais præceptor suauissime, quicquid à deo uel spiritualium uel corporalium bonorum peti possit, id totum in oratione dominica compræhensum esse? P A E . Aio. Habet enim duas classes. Prior ut petitiones tres continet, ita ea fere quæ ad spiritum pertinet, complectitur, nimirum sanctificationem nominis dei, aduentum regni dei & diuinæ in nobis uoluntatis completionem. Altera petitiones quatuor habet, sed in quibus ea fere quæ corporalia sunt petuntur. P V . Quin igitur de singulis petitionibus ordine differis? P A E . Id facturus eram, etiam si nullus moni-
ijsses.

PETITIONE.

issem. Ac quidem principio hic obseruabis, nomen dei per se modis omnibus, uenerandum, suspiciendum, ac sacro sanctum esse. Interim tamen apud plerosq; usq; adeo polluitur, contemnitur, exibilaturq; ut non immerito pro sanctificatione tanti nominis orare Ecclesia iubetur. PV. Istuc apud quos & quo pacto fiat audire cupio. P AE. Qui patrem in Christo & Christum in Patre non agnoscunt, qui gloriam dei & Euangelij remorantur, qui iustificationem operibus non fide metiuntur, qui in causa sunt, quo minus Pater ille cœlestis uere & agnoscat, & inuocetur & colatur inter homines, ij demum sunt, qui sanctissimum hoc nomen prophanant & prostituunt. PV. Spero haud ita multos reperiri, qui culpari hic possint. Quis enim gloriam nominis dei remorari in animū inducat? P A E D A G O G V S. Imò bona mortalium pars hic impingit. Quotus quisq; enim est, iustitiam fidei qui uere agnoscat? recte deum qui inuocet? deniq; qui ad Euangelij præscriptum mores uitamq; componat? P V. Interim tamen magna mul-

DE PRIMA PETI.

titudo est eorum, Christianum nomen qui id
etant. PAE. Quemadmodum non omnes qui
citharam habent citharæ sunt, ita non statim
p Christiano habēdus est, qui Christianismū
crepat et Euangelium. Constat enim hæc pro
fessio, non hypocrisi, non inani uerborum stre
pitu, sed agnitione Christi, fide, spe & chari
tate, quas res uidere semper fuit apud paucissi
mos. PV. Opus igitur hic est, quantum audio,
adsiduis precibus, ut uidelicet Christiani non
tantum dicamur, sed reuera etiā simus. PAE.
Rem acutangis. Porro nisi hæc in tanta homi
nū malitia adhibeantur, nō solum ut apud nos
nomen diuinæ maiestatis non sanctificetur,
uerum etiam ut male, propter nos apud gen
tes audiat, futurum est. PVER. Hoc igi
tur uis in summa orare nos, ut ubiq; Deus in
Christo agnoscat, glorificetur, colatur,
inuocetur, laudetur, deniq; ut pro omnibus in
nos collatis beneficijs grati sim^o, uita etiā inte
rim testificātes, quia non abs re Christo nomē
in baptismo dederimus? PAE. Tenes. PV. Utq;
nihil p̄fessione hac apud Christianos indignū

DE SECUNDA PETIT.

usquam committatur? PAEDAG. Hoc uolo,
imò non ego, sed is, à quo interpellare pro san-
ctificatione nominis huius, iussi sumus.

De secunda dominicæ precationis
petitione, Dialogus XXII.

Summa huius dialogi.

Ex secunda hac dominicæ præcationis pe-
titione liquet, atrox esse inter Christum & sa-
tanam dissidium. Hic enim ad perdendum, ille
ad seruandum uenit. Quare cum oramus ut
Christi regnum adueniat, hoc oramus, ut in
hac uita exulantibus filijs spiritum impertiat,
qui per uiam in fide nos & confirmet & spi-
rituale illud regnum, cuius post mortem plene
hæredes erimus, in nobis hic inchoet.

P V E R .

V T in am eo in statu res meæ sitæ essent,
ut istam tuam præceptor diligentiam,
digna mercede ac precio pensare possem. Te-
starer profecto nō uerbis, sed re ipsa, gratum
discipuli animum. PAE. At qui ego ut in for-
mandis discipulorum animis, nullo unquam la-
bori parsurus sum, ita semper cum Terentio

F s eum

DE SECUNDA

eum esse quæstum in animum induxi maximum, quam maximè seruire discipulorum com-
modis. Et nescio profectò an præceptoris no-
men mereatur, in formanda iuuentute, qui scō
pum alium præfixum habet. PVER. Interim
tamen par est, ut tantos labores digna etiam
merces excipiat. PAED. De ijs alias. Accin-
gamur iam ad eorum potius, quæ in pietatis ne-
gocio supersunt, explanationem. Et scim qua
de re heri uerba fecerimus? PVER. Maximè,
nimirū de sanctificatione nominis Dei. PAE.
Sequitur ergo iam nūc altera primæ classis pe-
titio, quæ sic habet: Adueniat regnum tuum.
PVER. Mirum ni Dei à satanæ regno longè
lateq; disiungit hæc oratio. PAED. Imò quam
longissimè. Quæ conuentio enim, inquit Pan-
lus, Christi cum Belial? In satanæ regno pecca-
tum, mors, & infernus dominantur: In regno
autem Dei iustitia, pax, & gaudium in spiritu
sancto conspiciuntur. PVER. Quid igitur est
in hoc regno regem esse? PAE D A G. Pec-
catum, mortem, infernum, ac satanam uincere,
id quod solus Christus præstitut. PV. Puto ta-
men nos

P E T I T I O N E.

men nos quoque huius uictoriæ participes fore, si credamus. PAE. Quid certius? Christus quicquid huius fecit, nostri cauſa fecit, qui ſubiecti ante a satanæ regno eramus. Quod ſi beneficij huius magnitudinem fide adprehenderimus, non ſolum tantæ uictoriæ participes, uerum etiam regni huius confor tes futuri ſumus, uisque adeo nihil, quod quidem ad augen tam electorum dignitatem pertinet, à Chri ſto omissum eſt. Principio satanæ imperio propter peccatum ſubiectos, proprij ſanguinis e fuſione in libertatem aſſeruit. Aſſertos in li bertatem ſempiterna iuſtitia donauit. Liberta te donatis regni & ſacerdotij etiā ius obtulit, ita in hoc ſuū regnum nos inſerens, ut nulla un quam creature nobis, ſi in fide perſiftamus, no citura ſit. PVER. Spirituale mihi regnum de ſcribis, cui utinam ita inſerar, ut nunquam di uelli queam. PAE. Maximè ſpirituale. Quem admodum enim in hac uita ſpiritu & fide in choatur, ita poſt hanc uitam durat perpetuo. Quare cum oras: Adueniat regnum tuū, memi neris nō ſolū hoc orare te, ut accelerato mun di fine

DE SECUNDA

di fine Deus, ipse solus imperij habens in cœlo cum electis moderetur, uerum etiam ut in hac uita exulantibus filijs suis spiritum imperiat, à quo in fide per uerbum & cōfirmentur, et à praua doctrina tuti fiant. Hac enim maximè ratione spirituale hoc regnum in nobis inchoatur, cuius postea post iudicium ad plenum hæredes futuri sumus. PVER. Si sic res habet, perpetuò uociferabor ad Deum: Adueniat regnum tuum. PAEDAG. Vociferare autem in fide. Ea enim si clamores cordis tui comitetur, dubium non est, quin certo etiā exaudiendus sis.

De tertia dominicæ precationis peticione, Dialogus XXIII.

Summa huius dialogi.

Tertia precationis huius petitio hoc sibi uult, ut quemadmodum in cœlitibus idem sit obediendi animus, eadē alacritas, eadem promptitudo: ita nos quoque alacriter uerbo adhærescamus, iuxta Euangeliū doctrinam uitam instituamus, carnis uoluntatem mortificemus, nihil designantes, quod non cœlesti isti patri gratum semper futurum sit.

PV.

P E T I T I O N E .

P V E R .

I Tāne præceptor in proximo colloquio dictum ab's te est in regno Christi esse, quotquot & spiritum & remissionem peccatorum & iustitiam per fidem, qua uerbum adprehenditur, naucti sint? PAEDAG. Imō id genus homines, non solum regni & sacerdotij Christi in hac uita participes esse dixi, Verum etiam æternum illud in futuro seculo regnum cum illo habituros. PVER. Si ergo tantas commoditates habent quotquot ē satanæ potestate in hoc regnum transferuntur, iam merito sine intermissione oramus, regnum hoc ut adueniat. PAEDAG. Vere merito. Quid enim commodius obtingere homini potest, atque sub eo regne militare, qui & gubernare per uerbum ac spiritum perpetuò nos, & aduersus omnes satanæ ac mundi insultus tueri queat? Atq; huic orationi recte nunc tertia illa petitio, qua oramus, ut uoluntas illius fiat, subiugitur. PVER. Nisi fallor, spirituales res & hæc complectitur, adq; primam huius precationis classem referenda est. PAEDAG. Nihil falsus es. PV.

Quo

DE TERTIA

Quo pacto igitur id quod uoluntas illa patris nostri exigit præstatur? PAED. Si bonus ille Euāgelij odor spargatur quam latissimè, si iuxta Euangelicam doctrinam omnes homines uitæ instituant, si deniq; unum hunc scopum præfixum habeant. Ut mortificata carnis uolunta te ea tantum designent, quæ cœlesti isti patri grata esse cognouerint. Neque enim aliud eundem uelle Paulus quoque testatur, ubi inquit: Hæc est uolūtas Dei sanctificatio uestra. PV. Atqui hisce in rebus haud ita morigera caro esse solet, nisi forte uerum non est, quod te sæpe memini dicere: Cor hominis prauum esse ab adolescentia. PAED. Si suapte uoluntate ad obediendū diuinæ uoluntati homo rapetur, superuacanea esset hæc oratio. Quia uero natura ad malitiam ac inobedientiam pronus est, idcirco ut ubique diuinæ uoluntati obtinetur, orare iussi sumus. Vbi enim hæc uoluntas per uerbum cognoscitur, perq; obedientiam præstatur, ibi tum nulla calamitas tanta accidit, nulla aduersitas urget, nulla crux intentatur, quam non adfuescamus ferre patientissimè. semper

P E T I T I O N E.

semper cum Paulo dicentes : Magnificabitur Christus in corpore meo , siue per mortem siue per uitam . Nam mihi uita Christus est , et mori lucrum . PV . Cur additur , quemadmodum in cœlo sic etiam in terra ? P AED . In cœlitibus idem est obediendi animus , eadem uoluntas , eadem alacritas , ita ut de ijsdem propheta etiā David dixerit , Facientes uerbum illius , ad audiendam uocem sermonum eius . Cum igitur agnatam hypocrisine fere habeat caro , non abs re orare iubemur , ut quemadmodum in cœlo , sic etiam in terra domini uoluntas fiat . Quis enim obedientiam eorum probet , qui quod faciunt , non sponte , non ex animo , non ex sinceritate , sed metu penæ et seruiliter faciunt ? Qualis ille fuit in Euangeliō filius , qui à patre in uineam ire iussus , iturum quidem se respondit : sed tamen id quod dixerat , non præsttit . PV . Quantum igitur audio , obtemperandum est diuinæ in omnibus uoluntati , sed absq; fuco , sincerè & candidè . P AE . Tenes . Quod si etiā tantum hic , præpedit humana imbecillitate , præflare quantum cupis nequeas , tamen uotū hoc animi

DE QVARTA

animi tui gratum Deo est, uel Ethnico teste:

Vt desint uires, tamē est laudanda uoluntas,

Hac ego contentos auguror esse deos.

Hæc facit ut ueniat paup quoq; grat⁹ ad arā

Et placeat cæso non minus agna boue.

De quarta dominicæ precationis
petitione, Dialogus XXIII.

Summa huius dialogi.

Quarta præcationis huius petitio hoc sibi
uult, ut qui in spiritualibus rebus, omnia nobis
necessaria ad fatim suppeditat, idem in corpo-
ralibus quoque rebus ad commoditatem uitæ
pertinentia filijs suis largiatur. Pertinent au-
tem ad commoditatem uitæ corporis alimo-
nia, prospera ualeudo, pax, magistratus uigi-
lans, successus in rebus agendis, commoda u-
xor, & pia proles.

P V E R.

Sequens in dominica præcatione petitio qua
pro quotidiano pane Deus interpellatur,
ad primam præceptor classem pertinet, an ad
alteram? PAEDAG. Ad primam pertineret,
si res spirituales complecteretur. Quia uero
corpo-

PETITIONE.

corporalia sunt, hic quæ petuntur, referenda
ad alteram est. PV. Ecquid panis nomine com-
prehenditur? PAE. Panis nomine audio apud
Hæbræos, & uictum & omnia uitæ commo-
da intelligi, quod ipsum ut credam facile indu-
cor, præsentim quum Euangelistas quoq; hoc
vocabulo in eam sententiam uideam uti. PV.
Atqui ad uitæ commoditatem, quid potissimum
pertinet? PAE. Parabilis principio uictus. Ni
sienim habeas, unde et te alas & familiæ, iam
nihil est, quod de uitæ commoditate glorie-
ris. PV. Plus igitur hac in re orationi atq; ma-
nuarijs operibus tribuis? PAE. Quemadmo-
dum aues ad uolandum ita ad faciendū opus,
hominem quoq; natum esse scio. Neq; enim fru-
stra dictum est: Sex diebus operaberis. Inte-
rim tamen ad laborem hunc, domini quoq; be-
nedictionē accedere oportet, propterea quod
citra hanc frustra laboratur, uel Davide teste.
Iam benedictionem hanc, an non oratio ex so-
lida fide diuinans impetrat? PV. Non nego.
PAE. Huc iam nunc adde, prosperam corpo-
ris ualeutudinem, pacem, defensionem, succes-

G sum in

DE QVARTA.

sum in rebus gerendis, piam prolem, & com-
modam uxorem. PV. Facile credo ad commo-
ditatem uitæ, prospera ualitudine opus esse.
PAE. Disce igitur, quod oratione hæc & im-
petretur potissimum & conseruetur, id quod
ethnicus etiam poëta confiteri coactus est, di-
cit enim :

Orandum est, ut sit mēs sana in corpore sano.
An non autem & pace opus est & defensio-
ne? Aut citra hanc cōstare politicæ rationes,
leges, & bonæ disciplinæ possunt? PV. Non
arbitror. Neq; enim ullum bellum tam potest
esse uel iustum uel pium, quod non propter ne-
glectum talium rerum, merito κακῶν δάλανα
dici possit. PAE. Idem sentiendum puto, de
successu in rebus gerendis. Nisi enim & hic
propitiū deum sentiamus, quid queso tandem
carnali illa prudētia, qua ferè caro intumescit,
efficiemus. Testatur scriptura Iosephum in
aula Aegyptiaca prospere ac fœliciter egisse
omnia, sed interim hunc successum Deo opti-
mo Maximo, qui opera illius solus direxerit,
acceptum refert. PV. Vera sunt hæc. PAED.

Quip

PETITIONE.

Quid dicam de commoda uxore & p̄ijs libe-
ris? Ut enim omnia corporis commoda maxi-
me adsint certè si quid hic desiderabitur, iam
usque adeo commode nō uiues, ut mortem etiā
interdum uita potiorem habiturus sis, dicitur
proverbio: Ignem, mare, & mulierem, tria
mala pessima esse. Id si de morosa, rixosa &
impia intelligas, fortassis aliquousq; uerū est.
Si in uero de commoda interpreteris, iam nihil
absurdius dici potest. An non enim creatura
dei bona est? Et Ecclesiasti. 26. dicitur: Gra-
tia super gratiam, mulier sancta & pudica.
Quare et hic oratione opus est, ijs qui nō nu-
bere, sed ducere uxores uolunt. Ut nimis uita
les nanciscantur, quae & commoda & dicto
audientes sint. Neq; enim dubium est, quin ta-
les parentes, si & disciplina accedat & oratio
non cesseret, pios liberos uisuri sint. PV. Quan-
tum audio, nisi inuocato numine, nihil unquam
uel incipiendum uel faciendum est. PAE. Sa-
pis, modo eorum quae audis, semper memor,
nunquam non Deum pro auxilio et adiutorio
inuoces.

DE QVINTA.
De quinta dominicæ precationis
petitione. Dialogus, XXV.

Summa huius dialogi.

Quinta huius precationis petitio ostendit,
perpetuo Christianos, per carnis imbecillita-
tem delinquere, eoq; peccatorum huiusmodi
gratia, Deum perpetuo per Christum inter-
pellare oportere. Signum autem hic habes, un-
de certior redi possis, peccata tibi condona-
ta esse omnia: nimirum si sentias te quoq; ex
animo remittere posse, ijs à quibus læsus sis,
uel iniuria adfectus.

PVER.

D E quotidiano pane, heri præceptor uer-
ba fecimus, qua de re quum tuo more
breuiter quidem, sed tamen dilucide differe-
res, factum est, ut omnem ex animo meo tor-
porem profligaris, adq; orandum me reddide-
ris uigilantissimum. PAE. Xerxes, teste Ci-
cerone, præmium proposuit, qui nouam inue-
niasset uoluptatem. Ego uero ijs propositum à
magistratu præmium esse cuperem, qui in pæ-
dagogij

P E T I T I O N E.

dagogijſ cæteros uincerenſ discendo, ac fide-
liter continendo ſuperarent. Sic enim fieret, ut
uincēdi cupiditate accenſi iuuenes, ad honesti
ſtudiū omnes ex & quo raperentur, id quod di-
co, ut mihi docilitatē iſtam tuā uideas uehemē
ter probari. PV. At qui me non iam præmium
huc, ſed earū rerum, quæ ab te dicuntur, utili-
tas rapit. Quare etiam te, uti ea quæ de debi-
tis noſtris remittendis ſequuntur, explicare
digneris rogo. PAE. Oratio hæc qua noſtra
nobis debita remitti, perinde atq; nos debitori
bus noſtris remittam⁹, petimus, principio egre-
giā Ecclesiæ confeſſionem habet, deinde con-
ſolationē, poſtremo ſignum quoddā ueluti fa-
cramentalē. P V. Hæc mihi latius explains
oportet. PAE. Fiet, ac quidē principio obſer-
uabis remiſſionē peccatorū Ecclesiæ, hoc eſt,
pijs ac elec̄tis omnibus, propter fidē in Chri-
ſtum certō contigisse. Neq; enim fallit nos, cu-
ius hæc uox eſt: Qui credit in me, non pude-
fiet, ſed habebit uitam æternam. Quia uero re-
liqua eſt in electis concupiſcentia, quæ ſubin-
de faceſſu iſdem negotium, ita ut interdum

G 3 per

DE QVINTA

per imbecillitatem lapsi ea designent, quæ fieri non oportuerat, recte peccatum hoc suum confitentur. Sic enim & Paulus, habitare in carne sua peccatum fatetur, quod in causa sit, quo minus quod probet agat. P V . Omnes igitur qui hasce peccati reliquias sentiunt, pro remissione huius imbecillitatis, interpellare Deum oportet ? PAEDAGO . Omnes peccatis huiusmodi obnoxij sumus : Omnes igitur pro remissione oremus oportet. Hinc Iohannes inquit : Si , inquit , dicimus , quia peccatum non habemus , nos ipsos seducimus & ueritas in nobis non est . PVER . Vnde autem hic petenda est consolatio ? PAEDAGO GVS . A Christo ipso, ut pro remissione horum delictorum Patrem subinde interpellemus , iussi sumus . Dubium igitur non est , cum idem & mediator & patronus noster sit , quin certo exaudiendi simus . PVER . Credo . Sed cur conditionem addit , non prius nostra nobis debita remitti debere , quam nos debitoribus nostris remittamus ? An non remissio peccatorum per fidem in Christum contingit ?

PETITIONE.

tingit? Cur igitur condonatio nostra hic , perinde atq; eficiens caussa harum rerum exigitur? PAEDAGO . Condonatio quidem nostra hic exigitur , fateor , cæterum non in hoc , ut remissionem nostrorum peccatorū pendere hinc existimemus , sed ut hoc ueluti signo admoneamur , quod ad eundem modum nobis quoq; Deus ignoscere certo uelit . Quod si haec nondum satis clara tibi uide buntur accersere huc Euangelicam illam de remissione debiti parabolam potes , cuius ordo , sententiæ huius certissima interpretatio est . Principio enim debitori ex mera gratia debitum remittitur : deinde quod & ipse conferuo suo debitum remittere ad eum modum debuerit ostenditur . An non hic condonationem nostram peccatorum remissio præcedit ? PVER . Utinam quæ dicis tam bene præstare possem , quam nihil scrupuli hic nunc sentio . PAEDAGOGVS . Memineris igitur in hoc te orare iussum esse , ut quod uiribus tuis non potes , cooperante & adiuuante Deo possis .

G . 4 De

DE SEXTA.

De sexta dominicæ prectionis pe- titione, Dialogus. XXVI.

Summa huius dialogi.

Quum permittente Deo omnia hominibus
aduersa eueniant, pijs ad probationem, impijs
ad interitum, orādus per Christum Deus est,
ut ne in id genus aduersitatibus & afflictionib-
us nos destituat, sed per spiritus consolatio-
nem fortes & uictores faciat. Certum enim
est in tentatione, citra diuum auxilium, sub-
sistere posse neminem.

P V E R .

E Quidem gaudeo preceptor humanissi-
me eò me tua opera gradum fecisse, ut
propemodum summariam mihi christianæ do-
ctrinæ cognitionem arrogare audeam. Quòd
si propitus in posterum quoq; Christus adesse
dignabitur, dabo operam ut & id quod super
est imbibam feliciter, & alijs quoq; quod di-
dici non ignauiter impertiam. P A E D A . Si
quid tibi mea opera profuit fili charissime, id
michi

P E T I T I O N E.

mihi non potest non esse gratissimum. In hoc enim scholis præficiuntur adeoq; publicis rerum publicarum salarijs souemur, ut animos uestros & literis & pietate formemus. Cæterum caue arroganter ob hanc, quam spiritu doctore nacltus es cognitionem, de te sentire incipias. Par enim est, ut despicibile hoc apud mundi sapientes doctrinæ genus, perpetuam modestiam coniunctam habeat. Facile alioqui infidij diaboli irretitus, in eorum albū ad scribereris, qui ore Christianismum contentur, quē factis interim negant. PVER. At qui uiam hic mihi commostra tu, quam ingressus insidias huiusmodi effugere queam. PAE. Insidias huiusmodi præcauebis, si semper dicas: Ne nos inducas in temptationē. PV. Recte petitionis huius mentionem facis, cuius exegesis ordo etiam noster postulat. Sed quid ego audio? Deus quemquam in temptationem inducit? An non tentator noster diabolus est? PAE DAG. Tentat Deus, tentat & satanas, sed diuerso fine. Deus tentat, ut eruditat, ut doceat, utq; in nostri nos cognitionem perducat. Sic

G 5 Abra-

DE SEXTA

Abraham, sic Isaac, sic Jacob, sic Iob ac reli-
qui sancti tentati sunt. Tentat & satan, sed in
hoc, ut perdat, ut noceat, ut damnum det, nō
tam corpori quam animæ, PVER. Quibus po-
tissimum machinis temptationū animi nostri mu-
ros quassare solet? PAEDAGO. Hypocrisi,
impieate, & perfidia. Quod si ijs rebus ad
uerbi odium adigere nos non potest, ad alias
artes cōfugit manifestam uidelicet uim, carce-
res, exilia, mortes. Atque hic strenue ab ipsa
carne etiam nostra ac mundo adiuuatur. An-
'non enim omnes ex æquo, quatenus spiritu
perfusi non sumus hypocriticæ sanctutatis ad-
miratores sumus? An' non suauiter in mundo ui-
uere, adeoque placere omnibus, quam in uer-
bi gratiam perpeti aliquid malum? PVER.
Vera sunt hæc. PAEDAGOGVS. Cum
igitur ita adfecti simus, ut nisi à spiritu iuue-
mur, facile id genus temptationibus succumba-
mus, cogere ipsa nos necessitas debet, ut De-
um patrem pro adiutorio indefinenter inter-
pellemus. Quid? Ne tum quidem ociosi esse,
uel in utramvis autem, amoto mœtu, steriere
debe-

P E T I T I O N E.

debemus, cum ex spiritu perfusi ex donis spiritualibus donati sumus. Ibi enim uel in primis metus est, neu efferri, neu, superbire, neu arroganter de nobis sentire, neu cristas erigere, ne ue collatis diuinitus donis abuti incipiamus. PVER. Quantum audio, ualde necessaria res est oratio, cui etiam huius rei gratia tanto ardenter et solicitius incumbere nos conuenit, quanto et utilior est, et necessaria magis. PAE DAGOGVS. Si necessaria non esset, haud quaquam Christum arbitror fuisse dicturum ad Apostolos: Orate ne intretis in tentationem. Item: Oportet semper orare, et nunquam deficere. PVER. Ego quoque sic in animum induco meum, melius hoc tempore habitu ras esse res mortalium, nisi hic cessatores essemus. Evidem Euangeli doctrinam strenue iactamus, quum interim inter sexcentos uix unus atque item alter conspiciatur, cuius mores, uita, facta adeoque reliqua fidei exercitia ei doctrinæ respondeant. PAEDAGO. Id quum uideas, danda opera tibi est, ut ne tu quoque culpari hic merearis. PVER. Fiet.

De sept.

DE SEPTIMA
De septima dominicæ precationis
petitione, Dialogus XXVII.

Summa huius dialogi.

Septima hæc precationis dominicæ petitio
mali nomine satanam, peccatum, mortem, in-
fernū, omnis generis ærumnas, miseras, & ca-
lamitates intelligit. Ab ijs enim omnibus libe-
rari Christianum, alioqui peritum oportet.
Liberatur autem hinc non suis uiribus, sua pru-
dentia, suo consilio, sed eius auxilio, qui &
rex est, & potens est, & gloriosus est, in secu-
la seculorum. Amen.

P V E R.

I N superiori præceptor colloquio, quibus po-
tissimum arietibus temptationum, satanas pul-
fare Christiani animum soleat: rursus, quibus
rationibus obuiam eidem eatur, ostensum abs-
te est. Quid iam nunc igitur restat, nisi ultimæ
in hac oratione petitionis explanatio? PAED.
Eam recita. PVER. Libera nos à malo. PAE-
DAG.

P E T I T I O N E.

DAG. Pauca uerba audio, sed de quibus bis
atque iterum uel ad clepsydram dici posset, si
cui placeret prolixitas. P V E R. Quid igitur
mali nomine hic intelligis? PAED. Satanam,
peccatum, mortem, infernum, omnis generis
miserias, aerumnas, morbos, & calamitates.
Nisi enim ijs malis in praesenti uita liberemur,
nihil est quod de eterna nobis polliceamur.

PVER. Planè horrenda audio. Si enim perpe-
tuò in nostram perniciem tam potens hostis ex-
cubat, sitot ac tantis malis semper expositi su-
mus, quis tandem aduersus tot insultus, si diui-
no auxilio destitueremur, subsistere posset?

PAEDAG. Certo de nobis actū esset, quem
admodum uere dicis, nisi esset, ad quem in tan-
tis periculis, ceu ad sacram ancorā quandam,
confugeremus. Iam uero cum opem suam hic
ultrò nobis diuina bonitas, modo inuocemus
per Christum polliceatur, nihil est, animum
cur despondeamus. Et uis hac in re Dei ac sa-
tanæ antithesis? Satanas excubat ut mactet:
Deus excubat ut uitam det. Satanas excubat
ut noceat: Deus excubat ut commodet. Sar-
nas in

DE SEPTIMA

nas in hoc est ut perdat: Deus in hoc est ut seruet. Atque hoc pertinet, quod miseratus uicem nostram, suum cuique genium deputauit, eumque bonum, qui contra eundem satanam, quoties ex insidijs suis nos adoriretur, subsidio nobis esset. Quare qui pericula, quibus in hac uita ferre obnoxij sumus, exaggerare uoleat, eum diuinæ quoque bonitatis hac in re magnitudinem exaggerare decet. Nam ut satanæ potentia, quantumvis mundi princeps sit, conferri nullo pacto cum diuina potentia potest. Ita nullū periculi genus est, quod non fortiter contemnere Christianus possit, si à diuino totus pendeat præsidio. Hanc sententiam semel infixam esse animis nostris oportet, si in ihs periculis, quæ nos circumualant undique uictores abire uelimus. PVER. Mirum ni pulchre coronis illa luciditate, quæ ex Græcis exemplaribus hic adiecta est: Tuum est regnum, tua est potentia, tua est gloria in secula seculorum. PAEDAGOGVS. Quid ni? Si rex enim est, ad cuius nutum, imperium, & potentiam, etiam supernæ uirtutes, nedum in terris homines,

contre-

P E T I T I O N E.

cōtremiscūt, iam dubiū nō est, quin cōtra om-
nes satanæ insultus certò nos tueri possumus. Si ue-
ro solus contra satanæ irruptiones nos tuetur,
quid miselli uires nostras iactamus? Ah si na-
mus gloriā hanc penes Deum esse, ne ueniētes
olim in iudiciū sacrilegij nos reos peragat. Ne
que enim maius sacrilegij genus, uel inueniri,
uel excogitari potest, quam si suam Deo glo-
riam suffuremur, inque hominis uires transfe-
ramus. P V . Ego adiuuante Christo, ab hoc
sacrilegij crimine abstinebo, semper clamans:
Liberan os à malo. PAEDA GOGVS.
Ad eum modum clamantem certò etiam do-
minus auditurus est. Quid enim putas aliud
sibi uult hæc uocula Amen? Ea perinde sonat,
atque si Latinè dicas, fiat fiat. Proinde quod
te facturum dicis, semper ad dominum, ut ab
omnibus malis tandem liberati, æternam ui-
tam adipiscamur, clamabis. Interim mei quo-
que in orationibus tuis memor eris. Ut qui
Christianæ doctrinæ summam, summa tibi
hæc tenus fide tradiderim, ne que quicquam te,
quod quidem ad promouendam salutem tuam
facere

DE SEPTIMA PETITIO.

facere possit cælarim. P V E R . Fidi præcep-
toris officio functus es, fateor. Nam ex deca-
logo quid confiteri, ex symbolo quid credere,
ex dominica precatione quid petere à Deo de-
beam, edocitus sum. Quare si ingratus essem,
merito ad Persas, apud quos ingratitudo
capite plectitur, mea ipsius sententia
condemnandus, alegarer. Sed
spero me non tam doctri-
næ tuæ, quam be-
neficiorum
semper
memorem,
cum uerbis, tum re
ipsa, futurum. PAEDA-
GOGVS. Hoc animi tui uotum
confirmet Deus Opti-
mus Maximus.

FINIS.

BREVIS DESCENDAE
THEOLOGIAE RATIO
autore Philippo Melanch-
thonie.

TLLVDINITIOPRAE-
standum est, ut textum Bibliorum fa-
miliarem habeas. Quia in re meum cō-
siliū est, ut mane postquam surrexisti, et
uesperi cum cubitum ire uoles, legas tanquam
orandi causa, unum atq; alterum caput. Ita to-
ta Biblia ordine legenda, et si quis occurrit
obscurus locus, querendus est interpres.

Et simul obiter sunt excerptae præci-
pue sententiae, quæ sunt in locos communes
digerendæ, qui continent summam doctrinæ
Christianæ. Nomenclaturam talium locorum
alicubi edidi, et sumi possunt, ex meis locis.

Præterea danda opera est, ut informes tibi
methodum aliquam, in qua sit summa doctri-
næ Christianæ. Et ad hanc accommodanda est,
epistola Pauli ad Romanos. Hæc enim prope-
modum est methodus totius scripturæ, quia
disputat, de iustificatione, de usu legis, de di-

H scrumine

DISCENDAE THEO

scrinie Legis & Euangelij, qui sunt præcipui loci doctrinæ Christianæ. Quanquam & Christus tradit methodum his uerbis, cum iubet prædicare pœnitentiam & remissionem peccatorum. Hic enim pœnitentiam seu timorem seu contritionem & fidem complectitur, quæ credit remitti peccata.

Sumas igitur tibi certam aliquam horam, aut si libet duas, ad legendam epistolam ad Romanos. Hic diligenter expendendæ sunt omnes sententiæ, & considerandum quid in utramque partem dici possit. Et querenda certa Pauli sententia, obseruanda series argumentorum, & propositionum. Hac lecta, postea accipienda est in manus epistola ad Galatas cum commentario, qui & ipse ueluti methodus est.

Post hanc & Colossenses legendi cum commentario meo, in quo etiam uolui complectii, præcipuos locos. Iuberem & meos communes locos legere, sed multa sunt in illis adhuc ruidora quæ decreui mutare. Facile tamen intelligi potest, quid mihi ibi displiceat ex meis Colosselfibus ubi locos aliquot mitigauit.

His dili-

LOGIAE RATIO.

His diligenter lectis habebis quasi summā doctrinæ Christianæ. Facile igitur intelligi iā cæteræ Epistolæ Pauli poterunt, quia subinde idem docet.

Deinde legendum Euangeliū Mathei
aut Lucæ. Atq; hic uidendū quomodo accom-
modanda sint omnia, & in locos illos commu-
nes includenda. Vbi Christus loquatur de pœ-
nitentia seu timore. Vbi de fide, ubi de oratio-
ne, ubi de charitate, ubi de rebus externis seu
ciilibus, de magistratibus, ubi de traditioni-
bus humanis, ubi de sacramentis, ubi discernat
legem ab Euangeliō, Euangeliū à politica
prudentia, ubi de cruce loquatur, ubi com-
mendet ministerium uerbi, ubi Ecclesiam de-
scribat.

Postea legendum Euangeliū Ioannis,
quòd magna ex parte cōtinet conciones Chri-
sti de fide & iustificatione.

Instruēdus est et libellus Articulorū fidei,
de Trinitate, de creatione, de duab⁹ Christina-
turis, de peccato originali, de libero arbitrio,
de iusticia fidei, de Ecclesia, de clauib⁹. Hic li-

H 2 bellus

DISCENDE THEO

bellus pene similis erit locis cōmūnibus. Sed tā
tum breuiter debet tenere sententias, quæ pro
bent articulos seu dogmata, sicut ego institui
Enchiridion, cuius exemplum ab ijs qui audi-
uerunt petere potes.

Postquam sic præparatus es in nouo Testa-
mento, cognoscendum est, & uetus. Et accipi-
endus in manus unus aliquis liber, qui diligen-
ter legatur.

Vellem initio legi Genesin cum enarratio-
ne. Postea Deutonomion cum enarratione,
deinde Psalterium. Et in ijs diligenter uiden-
dum est, quomodo & hæc quadrent ad locos
illos communes, qui summam doctrinæ Chri-
stianæ continent. Nam in ijs libris, eadem est
de fide, de timore, de cruce doctrina, que est
in Euangeliō. Nec tantum excerptæ sen-
tentiaē de morib⁹, sed maius quiddam requi-
rendum est, uidelicet :doctrina de priori tabu-
la, de timore dei, de fide, seu fiducia & iusti-
tia erga Deum. Quærendæ promissiones &
comminationes.

Hæc tum demū intelligi poterunt cum ali-
quis

LOGIAE RATIO.

quis in uita usus accedit, cum tentatio exercebit animum, & orare coget. Neq; unquam tam
men desunt orandi occasiones.

Ac diligenter in Psalterio discernendi sunt Psalmi. Alij continent Prophetias. Alij sunt deprecationes tantum. Alij continent præcepta. Alij continent promissiones. Hæc genera facile animaduertet, uel mediocriter peritus litterarum cōmuniōnē, & sciet quomodo reponēdi sint in locos cōmunes, de' quibus supra dixi.

Post Psalterium legendi sunt Prophetæ cum enarrationibus, ut Ionas, Zacharias etce. Hic uidebis quomodo autor illarum, totā rem ad communes illos locos transferat de quibus supra dixi.

Proderit etiam conferre alios interpres, ut uideas quam inepti sint illi, qui non norunt rem ad illos locos de fide etce. reuocare.

Deinde lecturus reliquos Prophetas non difficulter intelliget eos, Sciet enim eos partim arguere peccata, seu legem docere, partim hatinari de Christo seu Euangelium tradere & consolari conscientias.

H . s Refe-

DISCENDAE THEO.

Referet tamē omnia aut ad doctrinā de penitētia, aut de fide, seu fidutia erga Deum, aut de cruce, aut de alijs locis cognatis. Non nihil tamen adiuabitur in ijs etiam à diuo Hieronymo, non nihil à Lyrano, qui satis diligens est in historia.

Et qui sciet omnia ad locos communes referre, huic nihil opus est quærere multos sensus. Hoc potius agat, ut certam quandam sententiam constituat, quae certo conscientiam docere possit de uoluntate Dei. Est enim ad usum et ad tentationes comparanda cognitio. Quare non est contaminanda illis ridiculis allegorijs, qualibus delectatur Origenes.

In legendis historijs sacris in primis obseruandum est discrimen Legis & Euangelijs, et tenenda noititia libertatis Christianæ, ne somniemus oportere nos omnia illorum opera imitari. Ac diligenter discernenda fides est ab operibus. Fides David Ezechiae et similium imitata est. Opera non possunt esse similia, sed sua pro unius cuiusq; uocatione. Semper igitur animo intuendi sunt principes loci, poenitentia & fides,

LOGIAE RATIO.

fides, seu timor & fides, quos nobis commendat Christus, cum iubet prædicare pœnitentiam & remissionem peccatorum. Sunt et eligenda exempla politica, quæ docent qualia magistratum debeant esse officia.

Non est negligēda temporū supputatio, et etc. quæ grāmatici aut Rhetores iubēt obseruare. Interim cum sic uersaris in Biblijs, interdum legendum est aliquid Augustini. Nam is longe præstat alijs ueteribus. Præsertim in ijs quæ scripsit contra Pelagianos, de spiritu & litera. Item contra Iulianum.

Inspiciendus aliquando Hieronymus, & alij, ac obseruandum quid ijs desit, aut in quæ parte ualeant: Multa enim continet, quæ prudens lector non aspernabitur, tameisi leviter attigerint doctrinam de iusticia fidei.

Legendi et ueteres canonēs, ut sciam⁹ quid decreuerit Ecclesia. Eligēdi sunt, qui cū Evangelio consentient. Multi sunt politici, de ordinationibus Ecclesiasticorum rituum, qui quibus de causis facti sunt, exponendū est, ut ita accipiāntur quemadmodum cæteræ humanæ

H 4 leges,

DISCENDAE THEO.

leges, neue tribuatur illis ritibus, quod mereantur iustitiam coram Deo.

Deniq; in tota doctrina Ecclesiastica diligenter obseruandum est, quæ pars ad spiritualem uitam proprie pertineat, quæ pars doceat de ciuili conseruatione, & de politicis rebus. Sciendum quid ad Euangelij doctorem pertinet. Et doctrina Euangelij procul se iungenda est, à politica. Neq; tamē improbadæ sunt res politicæ, sed ut aliæ bonæ creaturæ honore ad ficiendæ. Et quia sœpe accidit, ut defēdēda sint dogmata Christiana, præpares te ad id quoq;.

Aliquid operæ collocandum est in humanis literis, & exercendus stylus, ut, cum opus erit, perspicue explicare possimus, controversias religionis. Et prodest aliquando sumere aliquam controversiam eamque acuendi et exercendi iudicij gratia præscribere. Ac suppeditant nobis multa argumenta hæc tempora. Potes Anabaptistas refellere, qui contèdunt à facultatibus discedendum esse, easque in communi conferri oportere. Item non esse iuramentum præstandum Magistratibus.

Item

LOGIAE RATIO.

Item iustitiam non contingere ex fide , sed ex nostris afflictionibus .

Fst etiam & ad perfecte intelligendas scripturas & refutandos hæreticos cognitione linguarum opus . Multæ enim controværsiæ dijudicari possunt , recte cognita natura sermonis & figurarum .

Neque tamen de natura sermonis & de figuris iudicare poterit quisquam , nisi legerit eloquentium hominum scripta , Ciceronis , Luij , Vergilij , Terentij , Ouidij , Quintilianii . Addendi sunt & Græci Homerus , Herodotus , Demosthenes , Lucianus .

Ad hæc accedat stylus seu exercitium scribendi , quæ res uel in primis acuit iudicium . Si quid ex philosophia aut iure uolet theologus sumere , uiderit , ne in epte commisceat doctrinam spiritualem cum politica .

Cæterum dialectica perinde opus est , ut grammatica & rhetorica . Nam cum ijs ita coniuncta est , ut diuelli ab eis non possit .

Ego tamen optarim theologos non negligeare philosophiam , quia nonnulli uituperant

H s alias

DISCENDAE THEO.

alias artes, cum non norint, qui si noſſent, plu-
ris facerent. Sed hic magnopere opus est ca-
uere, ne ineptè confundatur doctrina Chri-
ſtiana & philoſophia. Quare ſcire oportet
eorum regiones & interualla. Idem de
luris conſultorum diſputationibus
iudico, quas aliquando in-
ſpicere condu-
cet. *

FINIS.

DOCTIS

SIMIS ET HUMANISSIMIS VI
ris Doctori Georgio Curioni Physico Brun-
suuygiano, Martino Chorolitio ciuitatis eius-
dem Concionatori primario, Dominis, amicis

& fratribus suis insigniter charis

Antonius Coruinus gra-

tiam & pacem

optat.

Rouerbio dicitur, viri clarissimi,
multas amicitias diremisse silen-
tium. Quod ipsum an in uulgum
ac plerosq; alios recte competit, uiderint alij,
ego certe ut de me uere dici possit, nunq; co-
missurus sum. Ut maxime enim in ea negotia,
inq; eas peregrinationes interdum incidamus,
quæ salutandorum nobis amicorum et occasio-
nem & potestatē omnino adimant, ergo ne et
animo diuelli ab ijsdem sustineremus? Prose-
cto si qui sunt, hoc qui faciunt, eos ego nunquā
ex animo amicos fuisse arbitror. Quando qui-
dem

dem Cicerone teste, Amicitias, non tempora-
rias, sed immortales esse oportet. Quæritis
quorsum hæc tendant? Nimirum eo, ut persua-
sum habeatis, quanquam intra annum ferè, ne-
que ego ex uestris literis, neq; uos ex meis uo-
luptatem ullam ceperitis, me tamen nihil mi-
nus candidissime & syncerissime erga uos ad-
fectum fuisse, adeoq; semper futurum esse, ita,
ut sanctè deierare possim, propter istud ali-
quandiu intermissum scribendi officium, meo
erga uos amori ne tantillum quidem decepissi-
se. Quòd si toties uobis aures tinnire (iuxta
Germanicum prouerbium) contigisset, quo-
ties honorificam uestri apud bonos ac doctos
uiros mentionem fecimus, non me hercle du-
bito, quin me inter præcipuos amicorum cul-
tores fueritis numeraturi. Quæ res uel hinc e-
tiam liquet, quod ad uerbum ferè adhuc memi-
ni, quid proximis literis, hoc est, ante sesquian-
num de Euricio Cordo, tum recens uita defun-
cto, scriptis à me flagitaueritis, nimirum, ut
apud Hessiae eruditos, quòd eundem immortali-
tati cōsecrarent, laborarem. Qubus etiā tum

re-

respondi, diligenter me precibus istis uestris
satisfacturum, interim Apotheosis quoque in
uestri gratia eidem pollicitus. Quis ergo iam
nunc amicorū neglectum mihi impingere que-
at? Quod uero nihil eorum, quæ promissa tum
uobis sunt, præstū est haec tenus, uariæ occu-
pationes & profectiones nostræ in caussa fue-
runt, quibus exonerati uel nunc tandem de li-
beranda fide nostra cogitare cœpimus. Et quæ
quam obijci mihi hic possit illud πυθίων ὅσερον
τακτικόν, tamen memor etiā uulgo dici, Betam tum
hyeme tum æstate bonam esse, malo serus sa-
tisfactor, quam uanus promissor uideri. Neq;
enim maximoperè referre arbitror, quo quis
tempore beneficia, præsertim quæ eius gene-
ris sunt, ut in mora periculum non sit, in amicos
collocet, modo perpetuus neglectus non acce-
dat. Mitto igitur Cordi Epicedion uobis, de a-
lieno uidelicet liberalis. Neque enim à me, sed
à Ioanne Stigelio, iuuene & mei amantissimo
& felicissimo ingenio prædicto, in mei gratiam
conscriptum est. Quod ipsum etiam quibus re-
ctius mutaretur, atque uobis, qui mihi, ut de-

con-

conquirendo hoc ipso cogitarem, autores ex-
titistis? Adiecum autem Epitaphia aliquot,
quæ & ipsa uobis placitura speramus. De A-
potheosi mutauimus sententiam. Primum hac
de cauſa, quod ab Eobano quoque nostro E-
picedium eidem parari sciebam, deinde quod
clarissimi uiri memoriæ, nugis meis ineptissi-
mis, ueluti nebulas offundere nolebam. Porro
quod de Alexandro Magno, qui non à quouis
Rutuba, sed ab ipso Apelle, ne quid pictorum
imperitia formæ dignitati detraheret, pingi su-
stinuerit, legitur, idem mihi quoque Apotheo-
sin adornanti in mentem uenit, & me à scri-
bendo prorsus deterruit. Quod si scribendo
etiam hac in re possem aliquid, tamen non ui-
deo, quorsum attineat, in diuorum numerum re-
ferri eum, qui ipse sibi aditum ad eam rem feli-
cissimè pararit. Nam ut taceam quam feliciter
genus ac familiā (humili enim loco natus erat,
idq; in abiectissima haud ita procul à Guete-
ris moletrina) imo & patriam illustrarit, q; du-
riter educatus ad tantum fastigii peruenierit,
quam diligenter adolescens contempta barba-
rie,

rie, quæ tum ductu atq; auspicio Erasmi Rot-
rodami paſsim profligabatur, politiorem lite-
raturam coluerit, quam faſtis auibus, quod de-
citur, uir factus, primo poēticen, dein medicā
artem professus fit. Quale obſecro illud eſt,
quod Euangelij cauſam, in urbe ueſtra id tem-
poris adhuc impia, apud Cæſaream maiesta-
tem carmine ausus eſt agere? Quis tam egre-
giam fidei confessionem expectaſſet à poēta,
cum id genus homines theologicas literas ferè
uideamus faſtidire? Sed ita in animum induxe-
rat uir omniū optimus & doctiſſimus, posſe a-
liquem literas ſimul & pietatem profiteri, poē-
tam ſimul & Christianum eſſe, quales fuerint
Iuuencus, Sedulius, Lactantius, & alij pleriq;
Profiteri autē ueritatem non eos ſolū, qui ore
tenus Christiani ſint, adeoq; Christianū nomē
& titulu iactent, ſed qui omni amoto metu, cōfi-
teri eandē corā Regibus & Principibus huius
mūdi etiamſi certū uitae periculu immineat, au-
deant. Quare confeſſio hæc omniū, ſirecte ex
pedatur, liberrima, immorralitatē eidem para-
uit. Hæc inquā confeſſio, qua iam iā adpropin-
quante

quante , etiam morte usum audio , monumentū
illi struxit ære perēnius , nisi forte negare Pau-
linum illud quis uolet , quod nulla tamen ratio
ne negari potest : Corde creditur ad iustitiam ,
ore autem confessio fit ad salutem . Quin hu-
ius rei gratia Apotheosi quoque opus non ha-
bet , ab ipso uidelicet Christo in diuorum nu-
merum , non Homericorum illorum , sed qui ad
sanguinem usque à Veritate steterunt olim re-
latus iampridē . Multò minus Epitaphijs eget ·
ut qui scriptis & aeditis libris ipse sibi & no-
men & famam apud omnem posteritatem pe-
pererit . Quæ quanquam interim nihilo minus
fieri eidem , ne obliterata apud nos optimi viri
memoria uideatur , debeant , tamen hoc uel in
primis agendum est , ut quemadmodum ille re-
ctiora studia promovit , patriæ illustrandæ nō
desuit , Euangelicam pietatem amplexus est ,
ita nos uicissim & commodemus & prosimus
uxori illius & liberis . Eos enim quisquis tan-
dem in patris gratiam beneficijs adfecerit ,
hunc ego de Credo melius meritum semper
iudicaturus sum , atque si sexcenta eidem Epi-
taphia

taphia fecisset. Et quid moror? finem faciam,
ut ne luctui, quē nullis honoribꝫ Jupiter digna
tus est, præter quām lachrymis, ipſe quoq; fa-
crum facere incipiam. Sentio enim ex ueteris
et optimi amici recordatione, quandam obo-
riri in animo meo mœrorem et tristitiam.

De Academiæ nostræ statu sic res habet.
Florent hic bonæ literæ, uigent rectiora stu-
dia, rectè docetur pietas. Ac quidem principio
Theologiam profitentur D. Ioan. Draco, M.
Adamus Fulda, M. Gerardus Nouiomagus,
et M. Ioannes Rodophanta, quos quo minus
laudem, hoc in cauſa est, ne laudari uicissim
ab illis uelle uidear. Interim tamen haud uos
ignaros esse patiar, dignos esse quos propter
eximiam cum eruditonem tum pietatē passim
omnes exosculemur, suspiciamus, amemus,
Oratoriam et poëticen Eobanus tradit, uir
extra omnem ingenij aleam positus, et quem
secundum Erasmus laudare uelle, plane desi-
pere est. Quid enim illius nomine ac fama uul-
gatus? Quid Erasmi Encomio, quo Nasoni
eundem comparat, notius? Iurisperudentia D.
Ioannes Ferrarius, D. Ioannes Rudelius. Iu-

I stus

flus Studæus Licentiatus docent, quorum ego
pietatem, candorem, eruditionem, si pro-
dignitate prædicare uellem, iusta oratione
opus haberem. In medicinæ ac matheſeos ar-
te tradenda. D. Ioannes Dryander uersatur,
uir magna prudentia, magno rerum usu, ma-
gna eruditione clarus, cuius uestigijs insitens
M. Nicolaus BI. tale de ſe ſpecimen præbet,
ut non dubitemus, quin magnus olim futurus
ſit. Cæteros artium ac linguarum profesſo-
res taceo. Quid enim Lonicero in omni do-
ctrinæ genere abſolutius? Quid Nicolao
Asclepio doctius? Quid M. Chaffaro Ru-
dolphi, M. Reinhardo Hadamario, M.
Matthia Capellano uel eruditius uel humani-
us? Taceo item Pædagogij rectores M. Pe-
trum Nigidium, M. Theodoricum Dorſte-
nium, M. Niddanum, M. Bidencappium,
uiros prorsus dignos, quibus ob pietatem,
eruditionem, & ſingularem in formanda iu-
uentute diligentiam, omnia eueniant ex ani-
mi ſententia. Numerus ſtudiosorum tantus
hic non eſt, quantus in Academijs eſſe con-
ſueuit antehac, id quod ego fatali quodam
huius

huius seculi malo accidere arbitror. Sed uidere tamen hic est non contemnendam omnino copiam, quam etiam in dies speramus numerosiorem futuram, si orbis pax constiterit. Hæc cum uos harum rerum desiderio teneri scirem, ut ignoraretis nolui. Valete & loquacitatem hanc meam, qua sarcire pristinam taciturnitatem uolui, boni consulite. Salutabis ex me officiosissime, Bertramum Damum, Ioannem Glandorpium Henricum Vuinckel, Autorē Sanderum, Philippum Cordum, Concionatores omnes ac quotquot de me percōta buntur. Ex Marpурgo. Mense Martio.

M. D. XXXVII.

EPICEDION EVRICII COR
di poetæ & mediciclariss. Au
tore Ioan. Stigelio.

Regna prius mecum Cypriæ modulata iocoſæ,
Fundere te lachrimas nunc elegia decet.
Anxia luctificas hæc exigit hora querelas,
Hic quod habes uere, nomē habere potes.
Solue comas, laceraq; ſinus, et pectora, plāge,
Hic tibi non fictū cauſa doloris erit.

I 2 Cur

Cur ita? deceſſit tua laus, tua gloria **Cordus**,
Fatorum immitti lege iubente mori.
Et iacet in parua tanus uir conditus urna,
Quem sua non totum patria cepit humus.
Cuius ſparſa uolant uarias monumēta p oras,
Quas ſibi ſubiectas uesper et ortus habēt.
Cui ſacer ingenij uires largitus Apollo,
Plena Meduseæ pocula fudit aquæ.
Rupe ſub Aonia quem lactauere **Camœnæ**,
Quem ſouit placido Pallas amica ſinu.
Inter tot cygnos quo uix felicius alter,
Aonijs cecinit carmina docta modis.
Bilbilis obſcenum cefſet iactare poetam,
Illum quo poſſit uincere **Cordus** habet.
Illiſ eſt tenero Musa inſidiosa pudori,
Huius ad innocuos ingemioſa ſales.
Ille pias nugis offendit turpibus aures,
Huic Venus ad castos ludit honesta iocos.
Seu taxat niueo nigros Epigrammate mores,
Indulgetq; ſuis libera Musa iocis.
Seu ferit heroo prægnantia carmina pleſtro,
Carmine ſeu pecorum paſcua lœta canit.
Pingit & exornat uerecundum gratia uerſum
Cultaq; formofum uena uenustat opus.

Nec

Nec solo meruit præclarem carmine laudem,
Hoc aliquid maius quo celebretur habet.
Quicquid excelluerit præstâte Machaonis arte,
Non erit ut memorem temporis huius opus
Tempora quæ dandis sint oportuna medelis,
Quæue sit apta dari quæue sit herba no-
Quo cœli possumus quo tempore lunæ (cœs.
Tradantur cauta pharmaca certa manu.
Denique uis morbi quas agnoscenda per artes,
Tam certo haud aliis qui monuisset erat.
Ergo Corde sacrae deflent tua funera Musæ,
Deflet et abiecta tristis Apollo lyra.
Gratia quin etiam consueti oblita decoris,
Tristitia ostendit publica signa suæ.
Nec iam fert uirilem fronte redimita corona,
Nec late tenui cyclade uerrit humum.
Tempora præcingit lugentibus apta cupressus
Corpus inornatum lurida palla tegit.
Luget ut extincti conterrata funere nati,
Mater ad inuisos mœret itura rogos.
Sic moriente fuit quondam turbata Tibullo,
Fleuit in exequias sic quoque Naso tuas.
Hæc comitata Ven⁹ passis post terga capillis.
Fata gemit, lacero pectus aperta sinu.

Vix sup exanimē lachrymas ita fudit Ado-
Seuitā rabidi questa dolēter apri. (nin,
Quo tua te lachrymās desideret Hesia luctu,
Testantur querulo foemina uirq; sono.
Rupe sedens aliqua luget tua funera pastor,
Lanificasq; truci deuouet ore deas.
Dumq; uagæ circum pascūt dumeta capellæ,
Effundit querulis talia uerba modis.
Clare senex nobis hic inter flumina uiuus.
Bucolicon lusit fistula docta melos.
Nostra p hæc nemorū spatiari tesqua solebas,
Cum noua purpurei tempora ueris erant.
Murmure qua gelidas quatit aurifer hedera ri
Qua Lan⁹ irriguis gramina läbit aquis (pas
Pastores etiam non de dignatus agrestes,
Ornasti uersu pascua nostra tuo.
Nunc desiderium nobis hic triste relinquis,
Nunc te mors auida sustulit atra manu.
Horrida cum rerum facies & tristis imago,
Vndiq; constricto sœvit adusta gelu.
Frigent amissis spoliati floribus horti,
Nec suus est herbis graminibusq; uigor.
Nullus honor, nulla est negle c̄is gratia c̄apis,
Omnia riphaeo frigore strinxit hyems.

Credi-

Credibile est rerum ducentes fila sorores,
Tempore tam tristi, te uoluisse mori.
Quo magis appareat cunctarum semina rerū,
Mœsta sub interitum condoluisse tuum.
Talibus atq; alijs crudelia fata querelis,
Vincere non unus te ne quijsse dolet.
At tu Pieridum iustissima gloria Corde,
Sic quoq; non totus mortuus esse potes.
Vixis et̄ humani rides ludibria luētus,
Nec tangit sensus nostra querela tuos.
Cumq; sit haud ulli tua mens obnoxia morti,
Certus es ingenij non monumenta mori.
Illa nec extinguit Iouis ira nec ulla uetus astas,
Omnia cum pereant carmina sola manent.
Ergo modum tandem ponamus luētib⁹, at tu,
Inscriptum tumulo distichon istud habe.
Cord⁹ in hac iaceo cineres tumulatus arena,
Fama manet terris, sp̄ritus astra subit.

In obitum Euricij Cordi Doctoris
olim celebris, Epigrāma funebre,
Reinhardi Hadamarij.

Nō minimo patriæ Cordus iubar Hes̄idos o-
Euricius Doctor fulsi honorē bon⁹. (lim.

Cui sua mouerunt et os largitus munera Phœbus,
Pœonias dotes, Aoniamq; lyram.

Omne genus morbi letale represserat illis,
Panxerat hac clario carmina digna choro
Funera tata uiri modo deflet Apollo : iacentē,
Inq; peregrina commiseratus humo.

Aliud Epitaphiū p Petrū Nigidiū.
Cur siccis spectas oculis hæc busta uiator,
Nescius hic quanti sint monumenta uiri.
Hic recubat Cord⁹ medicorū gloria, quondā,
Pieridum sacri fama decusq; chori.

Vermibus expositū est corp⁹ miserabile uatis,
Spiritus in cœlis regna beata colit.
Imo ut uera suis tribuamus nomina rebus,
Hic placidus tantū corpora somnus habet.

Dormit et exigua requiescit Cordus in urna,
Dum sufflet princeps angelus ille tubam,
Quando beatorū postrema in luce resurgent
Millia, telluris linquet & ille lutum.

Obuius hinc Christo totus prodibit in astra,
Et tandem æterna pace beatus erit.

Aliud autore Decio Agricola.
Clauditur hac tuba medicorū gloria Cordus,
Gloria & Aonij qui fuit ampla chori.

Alter

Alter in Hessiacis hic pauit montibus agnas.

Et tristes elegos scribere doctus erat.
Hic thalamos Hessi geniali carmine lusit,

Misit & in multos acre epigramma libros.
Herbarum monstrator erat doctissimus ille,

Cui similem hæc ætas postq; futura negat.
Aliud autore Antonio Coruino.

Ne properes subsiste parum, studiose uiator,
Cognosces brevibus quem lapis iste tegat.

Musarum cultor Cordus Phœbiq; sacerdos
Occubuit, quæ nūc hæc breuis urna fouet.

Corpus humo tegitur, nomen uiuitq; manetq;
Præterea fœlix spiritus astra petit.

Spiritus astra petit uisurus uera piorum
Gaudia, quæ nobis da quoq; Christe locū.

M. Ioannis Hun Epitaphium,
autore Decio Agricola.

Verbi minister integer

Magister innocentiae

Hunus probatus moribus

Vitæq; sanctimonia

Quietè secura cubat

Cadaveroſo hoc puluere

At spiritus beatior

I , Alacri-

Alacritate & gaudio
Fretus, cooptat uinculis
Melioribus uel pristinis
Ut corpus instaurabile
Fruatur, inuexum sibi
Simul beatis sedibus

Andreae Vegetij Fuldanii Epita-
phium, eodem autore.

Incuruent alij laboriosos
Arcus sumptibus erigantq; multis
Mausolæ a superba porphirete,
Seri ne taceant item nepotes.
Tumbetum Vegeti, tuum uenustant
Et famam tibi uiuidam perennant
Mores candiduli, fides, apexq;
Virtus religionis approbatæ.

Hericu Hessitumulus, eodē autore.
Quis cubat hic? Hessus Musarū dulcis alunus,
Quem gremio fouit Calliopea suo.

Ille ne cui tam prompta fuit facundia lingua?
Ille. Et erat patriæ fama futura suæ.

Quo cecidit fato? Nec maturo nec opimo.
Heu miserum, quo nam? q; cito? ante diem?
Ante diem incatum rapuit violentia Rheni,

Et tan-

Et tantum nobis perdidit ingenium.
Quis mādauit humo? pietas, o perfide Rhene,
Hoc durante scelus posteritate lues.
Expostulatio Anton. Coruiū cum
Neptuno propter acerbissimū
eiusdem Hessi casum.
Tune viros semper perdes Neptune disertos,
Atque noui nobis causa doloris eris?
Ante hac Nefenus fato cōsumptus acerbo est,
Saxonicasq; miser nobilitauit aquas.
Quod si non factum te nil miserante fuisset,
Isset in immensum gloria magna uiri.
Nunc aliū nobis Henricum præripis Hessum,
Quo mihi uix quisquā charior alter erat.
Is certe ornasset patriam Cattosq; parentes,
Eloquio, fama, dexteritate, fide.
Si non ante diem rupissent fila sorores,
Atque adeo insanis occubuisset aquis.
Sed qui nunc placida tumulatus pace quiescit,
Spem de se nullam proch iubet esse ratam.
Ergo tibi quid nam pro talibus imprecer ausis?
Quo te deuoueam nomine rector aquæ?
Imprecor ut nullos habeas contēptus honores,
Nec tibi det pinguem Tænara terra bouē.

Impre-

Imprecor ut post hac sis toto inglorius orbē,
Nemo tuas laudes, carmina nemo canat.
At uero interea maneat nomenq; decusq;,
Extincti, quem nunc cœlica regna fouent.
Ioānis Coruini, Antonij filij Epita
phium, Ioanne Stigelio autore.
Huc posuit nati mœstus pater ossa Ioannis,
Coruinus patriæ gloria prima suæ.
Vnus ab infantis natali fluxerat ortu,
Alter & in cursu temporis annus erat.
Vidit & indoluit, uix nati Phœbus alumni,
Imponi gelidæ triste cadauer humo.
Occidit ergo suæ uerno sub tempore uitæ,
Cum tenera ingenij uis erat apta regi.
Autumni quòd si potuisse carpere fructus,
In pia fecisset facta parentis iter.
Hoc ita spondebat lactantibus altior annis,
Et spes non dubijs concipienda notis,
Si tamen ista tibi potior sententia uisa est
Hūc precor in gremiū suscipe Christe tuū.
Hæc etenim pueris de te promissa dedisti
Ut capiant cœli regna beata tui,
Viuat Christe tuis placideq; quiescat in ulnis.
Sic prece, sic uotis orat uiterq; parens.

Agnetis

Agnetis eiusdem Coruini filiæ Episcopi
ta. autore Burcardo Mithobio.

Nomine quæ casto castis quoq; morib; Agnes

Dicebar priscis, hac ego condor humo
Filia Coruini dum uixi chara parentis

Sed nūc sum Christo mortua grata magis,
Cuius ego regno terrena sede relæcta

Perfruor, atque illi iubila sancta fero.

Hermannii Buschij Epitaphium
eodem autore.

Buschius hoc tumulo tegitur, qui st̄emate cla-
Spiritus in cœlis regia tecl̄a tenet (rus,

Quē referēt Musæ profert dū gramina tellus,
Sidera dum cœlū dum uehet & quor aquas:

Non mirare necē uatis precor optime lector,
Nam firmum toto perstat in orbe nihil.

Epitaphium Laurentij Coruini in
gratiā Leonardi Crispini Lu-
conēsis per Anto. Coruinū scri-
ptum Anno M. D. XXXIX.

Si bene de rebus mortalibus ille meretur

Qui studijs prodest candida turba tuis.

Quin igitur meritos cur cœlis largiris honores?

Multorum certe funera spreta iacent.

Hactenus

Hactenus ignota latuit Laurentius urna
Coruinus cultor carminis atque lyræ.
Is cum barbaries toto regnaret in orbe,
Musarum cœpit castra diserta sequi.
Atque hic officio quām sit perfunctus honesti
Militis, æternum factaq; resq; docent.
Certū est barbaricas aggressū sæpe phalāges
E qua lucta etiam digna trophæa tulit.
Carmina multa dedit, Musis & Apolline di-
Et sine lege etiā dictio docta fuit. (gna,
Addo quod imperij leges canonesq; paternos
Excoluit, recti iusticiæq; tenax.
Talis in hoc tumulo fœlix cubat atq; quiescit
Vivus apud doctos, uiuus apud superos.
Augusti Sebastiani Noutzeni lu-
rium doctoris Epitaphium Bur-
cardo Mithobio autore.
Pronum siste pedem uiator oro,
Augustus iacet hic Sebastianus
Noutzenus Solymis decus perenne
Romanis specimen decusq; Græcis
Effugit tumidum quietus orbem
Vix cœlicolum domos adiuit
Spes, fortuna, sales, lepor ualete,

Vobis

Vobis nam nihil est cum eo negoti.
Burchardi Mithobi*j* senioris Epi-
taphium ipso filio autore.
Chare parens trepidi superasti stigmata mudi
Vita tibi post hanc altera maior erit.
Omne perit subito uast^o quod claudit olym^p
Luce igitur prima gratior hora necis.
Epitaphiū Tilonis Ditinarri ciuīs
Goslariani, autore Coruino.
Funera si lachrymas iuges luctumq; merentur,
Si licet extictos flere dolere uiros,
Dignus eras nostro proles Ditinarria planctu,
Cuius amicitiae præmia multa tuli.
Sed quia post fatū lachrymæ fundūtur inanes,
Hoc tibi pro meritis pignus amoris habe.
Imprecor ut tibi det cœlestia gaudia Christ^o,
Viq; beatus agas semper apud superos
In terris famam, nomen, laudemq; decusq;
Si quod habēt pōdus carmina nostra dabūt.
Epitaphiū uxoris Michaelis Volu-
metij pædagogi Goslariani
eodem autore,
Hoc tegitur Margreta nouo Volumetia saxo,
Ante diem parcæ quam rapuere deæ.

Quod

Quod si sanctus amor sequeret forte sepulta^s,
Iam quoq; post cineres hæc placitura uiro
Quæ cū fecisset ppulchra prole parentē (est.
Iuit in amplexus Christe adamata tuos.

FINIS.

